MI RHETORICÆ DISTINCTIONES PARISIIS 1549

VCM
in-12
6489
SORBONNE

VCM 6= 6489

AP

PETRI RAMI
VEROMANDVI
Rhetoricæ Distinctiones,
A D
CAROLVM LOTHARINGVM,
Cardinalem Guisianum.

Oratio eiusdem de studiis philosophiæ & eloquentiæ coniungendis.

BIBLIOTHÈQUE
de
Mr COUSIN
6489

PARISIIS,
Ex officina Ludouici Grandini, è regione gymnasii Rhemensis.
1549.

PETRI RAMI VEROMANDVI *Rhetoricæ Distinctiones in Quintilianum,*

A D

CAROLVM LOTHARINGVM,

Cardinalem Guisianum.



Ene (Mecœnas optime) Græcorum illo prouerbio præcipitur, Quã quisque norit artem, in hac se exerceat. Itaque tot annos, quot certè non cæterorũ more gloriari placeat, sed pro tenuissimo tanti tẽporis fructu potius meminisse pudeat, in rhetoricis & dialecticis occupatus, an non meo quodam iure facere videar, si me in meis studiis & artibus vel eodẽ argumento sæpius exerceam? Dialecticæ & rhetoricæ artes ab Aristotele, Cicerone, Quintiliano cõfusæ sunt, argumentum vnũ est, materies vna: aduersus Aristotelem & Ciceronem antea disputaui. Quid igitur est causæ, quamobrẽ & Quintilianus in eandem quæstionem vocari non possit? Aristotelis logica multis & virtutibus care-

bat, & vitiis abūdabat: multæ definitiones, multæ partitiones argumentorū defuerant: pro vna inuentionis arte decem locis generalibus, caussis, effectis, subiectis, adiunctis, dissentaneis, cōparationibus, nominib⁹, partibus, finitionibus, testimoniis comprehēsa, infinitæ tenebræ in prædicabilibus, prædicamentis, enūtiationibus, abūdantia propositionū, inuentione medii, duobus analyticis posterioribus, topicis octo confundebantur: in simplicibus syllogismis non pauciores aggregabantur, de cōiunctis nil præcipiebatur, de methodo omnino tacebatur, vsus artis vniuersæ nullus nisi in clamosa de artis ipsius tam vanis præceptis, & sophistica altercatione tradebatur: nos arti virtutes quæ deerant, addidimus, vitia tam varia deteximus, &, vt spero, excidimus: vsum verū aperuimus, & rerum omnium cōmunem demonstrauimus. Ergo dialecticum hoc certamen & artis & vsus vehemēter acritérque certauimus. Secundū certamen nobis aduersus Ciceronem fuit. Aristotelicas enim inuentionis, dispositionisque, imò verò etiam elocutionis tenebras ferè omnes ad rhetoricā transtulerat, & ex duabus artibus vnā confuderat, eámque ita confusam ad liti-

gioſam ciuilium cauſſarum formulã traduxerat. Laudes inuentionis & diſpoſitionis iam antè docueramus. Lucem quæ elocutioni & actioni deerat, frater meus Audomarus Talæus definitis & diſtributis & illuſtratis rerum generibus adiecit & expoſuit: tenebras igitur dũtaxat hîc excuſſimus. Ecce autẽ Ariſtotelis & Ciceronis dialecticam & rhetoricã perturbationem Quintilianus ſequitur, maiorem etiam ex ſeipſo comminiſcitur, omnéſque omniũ artium, de quibus aliquid legerat, vel audierat, ſcholas, grãmaticas, mathematicas, philoſophicas, hiſtrionicas, palæſtricas, rhetoricas, in ſuas inſtitutiones amplectitur. Nos rhetoricã artẽ à cæteris artibus diſtinguimus, & de liberalibus artibus artem vnam non omnium confuſionem artium facimus: quæ ſint eius propria ſeparamus, inertes & inutiles argutias detrahimus, quæ deſint indicamus, & Ariſtotelis tenebras ſicut antè in Cicerone, ſic nunc eaſdem propemodum in Quintiliano perſequimur. Sed quoniã res eadem aduerſus Ariſtotelẽ & Ciceronẽ antè tractata eſt, permulta & breuius & remiſſius agimus. Denique ſumma conſtantíſque rationis ope nitimur, vt artiũ, in quibus adhuc

ſtudiũ operámque locauimus, vera & deſcri ptio & exercitatio teneatur. Quot enim dies imò quot anni & ætates fallacibus harũ diſciplinarum commẽtis miſerè traduci arbitramur? Vtinam maximo iuuentutis meæ diſpendio tantam miſeriam expertus non eſſem. Vtinam doctores & rhetoricæ & dialecticæ per nos admoniti de veritate rerum & vtilitate potius aliquando cogitent, quàm de iis, ad quæ ſemel audita, nunquã iudicata, ſimpliciter adhæſerint, pertinaciter & obſtinatè decertent: fieret profectò vt ſuccinctius artes inſtitutæ, facilius intelligerentur, & vera vſus aperta via, promptius exerceren tur. Veruntamen per Deum immortalem (dicet aliquis) tantúmne tibi tribuis, vt vitia aut virtutes in his artibus vidiſſe tibi videaris, quæ tantorum virorum aciem effugerint? Ego verò, Mecœnas, (te enim, tuíque ſimiles, id eſt candidos, nulláque peruerſa opinione ſuffuſos iudices appello) ſi Ariſto telem in philoſophia, Ciceronem & Quintilianum in eloquẽtia nihil eſſe dicam, non ſatis ſanus eſſe videar. Fuerit igitur Ariſtote les ingenio variis in rebus ac ſcientiis tã acu to, q̃ poſſit Ariſtoteleus quiſquam cogitare: ingenii enim abundantiã quandã incredibilẽ

in eo philoſopho eſſe confiteor: Alexandri liberalitate fretus, ex omnium gentium inuentis & libris naturalem ſcientiam compilauerit, omnes philoſophos non ſolùm phyſicos, ſed ethicos, politicos ſua logica vexauerit: ſyllogiſmi in iudicãdo, methodi in collocando tantum interdũ adhibuerit, quantũ in ſummo philoſopho requiri poſſit. Ciceroni dialectica iſta & inueniendi, & diſponendi ornamenta paria ſi voles, attribue, nihil detraham: imò verò non ſolùm libenter, ſed etiã verè fortaſſe concedam, omnium hominũ qui ſunt, qui fuerũt, quique poſtea futuri ſunt, eloquentiſſimũ fuiſſe: & vix tantã vel elocutionis (quãta in eius libris cernitur) & pronuntiationis (quanta in hiſtoriis de eo memoratur) laudem ſperari poſſe. De Quintiliano, faciam impudenter, ſi ſimile quicquam prædicem. Nam quãuis in eo ſit ciuilis ad agendas cauſſas facultatis commonſtrata quædam prudentia, quanuis exempla quædam vtiliter collecta, attamen elocutionis quæ ſumma laus eius eſſe poſſit, infinita eſt à Cicerone differentia. Nec enim in ſingulis verbis eadem eſt puritas, vel proprietas, vel elegantia. In coniunctis tanta eſt differentia, vt Cicero aureo quodã

ſeculo, ferreo Quintilianus locutus eſſe videatur. Sed tamẽ vt temporibus illis diſerti homines fuerunt, ita ſanè numeretur in diſertis, qualis tamẽ fortaſſe nec eſſe poſſim, ſi velim, imò verò ne velim quidẽ, ſi poſſim: tales inquam, Ariſtoteles, Cicero, Quintilianus, tãtíque fuerint, an tamẽ qui vna aut pluribus virtutibus excelluerint, protinus eos omnibus excellere eſt neceſſe? protinus omnibus in rebus neceſſe eſt nõ homines, ſed deos exiſtimare? De maximis aliorum generum virtutibus vbi vel Apollines, vel Ioues per me licet fuerint, hoc tempore nil quæritur, de dialecticis & rhetoricis præceptionibus nunc agitur, quas etiã ferè omnes ab illis magna ſui nominis gloria vel repertas primũ, vel certè collectas ex aliis cõcedo. Quin adiungo, ſi in hiſce præceptionibus & accuratè iudicandis, & ordine collocãdis tot mẽſes adhibuiſſent, quot annos ipſe conſumpſi: equidẽ non dubito lõgè veriores & diſtinctiores artes nobis relicturos fuiſſe. At res ipſa demõſtrat ab his doctorib⁹ multa quidẽ cumulata eſſe, ſed nõ ſatis æſtimata, hîc ſyllogiſmum requiro: nõ ſatis apto ordine diſpoſita, hîc methodũ deſidero. Confirmo hæc eadem noſtris inſtitutionibus & verè iudicata, & re-

ctè esse collocata. Quid ita? quia ad tractandum dialecticũ & rhetoricũ tum rationis, tum orationis vsum, vsum inquam vel eum qui in libris Aristotelis, Ciceronis, Quintiliani perspicitur, dialecticæ & rhetoricæ artes Aristotelis, Ciceronis, Quintiliani fallaces & confusæ sunt: nostræ veraces & distinctæ, sicut & ars & exercitatio penitus explorata conuincit. Hoc primum, hoc medium, hoc summũ contentionis meæ firmamentum est. Non abutor testimoniis hominũ, qui mẽtiri possunt, sed cõstantis & naturalis vsus, quem tot annos maximo quotidianæ exercitationis labore persequor, vsus inquã veritate & rerum experientia confirmo. Quamobrẽ Mecœnas, hac pulcherrima rectissimæ voluntatis cõscientia fretus, nũquã quid sentiã de his artibus, quas profitebor, scribere erubescã, ad te præsertim non tam mecœnatem meum, quàm cõmunem bonarum literarum fautorem Galliæ nostræ diuinitus oblatum. Sed in vestibulo nimium diu moramur, ad rhetoricas distinctiones accedamus.

PETRI RAMI VEROMANDVI

Distinctiones Rhetoricæ,

A D

CAROLVM LOTHARINGVM,

Cardinalem Guisianum.

Ermagnum cuipiã fortasse videbitur ac perdifficile, quod aduersus Quintilianum mihi propono atque instituo, vt oratorias eius institutiones nõ legitimè descriptas esse doceã: præsertim cùm oratorem & præclarè definire initio, & rerum definitione comprehensarum deinde partes elegãter diuidere, & tandem singularum proprietatem partium ac naturam diligẽter ad extremum & accuratè persequi, omniáque singulari & consilio vidisse, & iudicio æstimasse, & methodo collocasse videatur. In hac autem disputatione Dialecticam, id est, verè & cõstanter disserẽdi magistram (quantum mihi licebit) adhibebo, quò res acutius & prudentius æstimetur. Quamobrem Diale-

ctici omnes, id est, quicunque de hac quæstione vere & constanter iudicare possitis, adeste, animaduertite, vestram sapientiam excitate, repellite procul à vobis (si qui fortè eiusmodi affectus animos vestros occupare parauerint) repellite, inquam, amorem, odium, præiudicatam opinionem, leuitatem, inconstantiam, temeritatem, & quantũ firma ratio conuincet, quantum conclusio certa conficiet, quãtum denique veritas ipsa (quæ neque refelli, neque redargui possit) obtinebit, tãtum animis æquis & libentibus accipite. Ponatur igitur primùm Quintiliani definitio, qua oratorem nobis suũ explicauit, & ad hanc disputationem referantur omnia, quæ ex omnibus Institutionum Fa-
» bianarum partibus referri conueniet. Oratorem (ait)
» instituimus illum perfectum, qui esse nisi vir bonus
» non potest: ideóque non dicendi modò eximiam in eo
» facultatẽ, sed omnes animi virtutes exigimus. Hunc oratorem Quintilianus nobis instituit, quem postea libro duodecimo virum bonum bene dicendi peritum similiter definit, & illas animi virtutes exponit, iustitiam, fortitudinem, temperantiam, prudentiã, item philosophiam totam, legum scientiam, & cognitionem historiarum, & alia pleraque laudum ornamenta. Quid igitur contra istam oratoris finitionem dici potest? Ego verò talem oratoris definitionem vanam & inanem mihi videri confirmo: quamobrem? quia superuacanea & vitiosa cuiusuis artificis est definitio, quæ plus cõplectitur, quàm est artis institutis cõprehensum. Artifex enim ex artis ratione definiẽdus,

Vt quantum artis veris & propriis decretis inclusum sit, tantum tribuatur artifici, nihil præterea: definitio enim non solùm est explicatio rei breuis & aperta, sed etiam rei quæ definitur ita propria, vt omni soliq; perpetuò consentiat. Grammaticus definitur peritus rectè loquendi & scribendi: non definitur peritus loquendi, scribendi, & cantandi. Quid ita? quia de postremo nihil est in grammatica descriptum. Geometra non definitur peritus metiendi & medendi. Quid ita? quia nullum est in geometria præceptum, quod doceat mederi. Axioma igitur nostrum teneamus, & hoc syllogismi fundamentum ponatur:

Artificis definitio vitiosa est, quæ plus complectitur, quàm est artis finibus inclusum.

tum hoc posito fundamento assumamus:

At artificis oratorij definitio nobis à Quintiliano tradita plus amplectitur, quàm est artis finibus inclusum.

Rhetorica enim ars non est, quæ omnes animi virtutes explicet. De virtutibus moralibus, & de virtutibus intelligentiæ ac mentis propriè permulta & eleganter Ethici philosophantur: de arithmetica, geometria, mathematici: de reliquis tot tantarúmque rerũ scientiis, quæ sunt etiam virtutes animi, docti & sapientes homines suis separatim studiis, non rhetores commentantur. Concludo igitur,

Quare Fabiana ista oratoris definitio vitiosa est.

At dicet Quintilianus, Philosophia moralis & illa ipsa virtutum doctrina rhetorum propria est, non phi-

Obiectio de morali philosophia, an sit pars Rhetorica.

losophorum: & nunc perfectus orator informatur, qui non potest existere, nisi omnes animi virtutes assecutus. Quid si autem hoc vtrunque alienum est & falsum? nónne summā complexionis & syllogismi tenebimus? Agite igitur, quæramus quamobrem virtutum disciplina Rhetoricæ pars æstimari poßit. An quia & ciuitatem & ciues orator regere debeat, idcirco disciplina moralis rhetoricæ propria quædam pars erit? Sic
» sanè Quintiliano videtur, cùm ait, Neque enim hoc
» concesserim, rationem rectè honestéque vitæ (vt qui-
» dam putauerunt) ad philosophos relegandam, cùm
» vir ille ciuilis & publicarum priuatarúmque rerum
» administrationi accōmodatus, qui regere cōsiliis vrbes,
» fundare legibus, emendare iudiciis poßit, non alius sit
» profectò quàm orator. Quare tametsi me fateor vsurū
» quibusdam (quæ philosophorum libris continentur) ta
» men ea verè iuréque contenderim esse operis nostri, pro-
» priéque ad artem oratoriam pertinere. Sic Quintilianus loquitur, & ita cogitat, vt oratoris nomine deum quendam mortalē omni virtute scientiaq; perfectum & absolutū in republica principē appellet, non vnius artis hominē cogitet. At hoc tempore de vna quadam arte & virtute, non de omniū artium & virtutum absolutione præcipiēdum Quintilianus sibi proposuit: & rhetoricam de liberalibus artibus vnam quādam esse putat, non verò communem esse artem rhetoricam, idémque rhetoricam esse, quod artem, quod scientiam, quod virtutem existimat. Nullam enim in his oratoriis libris ciuilis facultatis scientiam, nullam vitæ &

officiorum disciplinam, nullam denique istarum laudum (quas oratoriæ artis partes esse dicit) doctrinam in Rhetoricæ partibus descripsit. Quinque Rhetoricæ artis partes (de quibus postea dicam) Quintilianus esse iudicat, inuentionem, dispositionem, elocutionem, memoriam, actionem: non plures, non pauciores esse putat. Attamen in earum partium nulla philosophiam moralem (quam nunc rhetoricæ tribuit) collocat. Dialectica verò huic homini vehementer defuit: à qua si didicisset in omni arte atque scientia causas rerum & veras, & proprias, & primas exquirrndas esse, longè aliter oratorem definiendum censuisset: longè aliter de proprietate artium sibi philosophandum cognouisset. Duæ sunt vniuersæ & generales homini dotes à natura tributæ, Ratio & Oratio: illius doctrina dialectica est, huius grammatica, & rhetorica. Dialectica igitur generales humanæ rationis vires in cogitandis & disponendis rebus persequatur, grammatica orationis puritatem in etymologia, syntaxi, & prosodia ad rectè loquendum, in orthographia etiam ad rectè scribendum interpretetur. Rhetorica orationis ornatū tum in tropis & figuris, tum in actionis dignitate demonstret: ab his deinde generalibus & vniuersis velut instrumentis aliæ artes sunt effectæ: arithmetica in numeris, geometria in lineamentis, aliæq; in rebus aliis: quæ si distinctæ propriis finibus & conclusæ fuerint, certè quod grāmatica suo iure docebit, rhetorica non confundet, quod vtraque perspicuè descripserit, dialectica non attinget: vsus earum coniunge-

Grāmaticæ, Rhetoricæ, Dialecticæ distinctiones.

tur, vt eadem sit oratio, quæ & purè & ornatè & sapienter & loquatur & dicat, & sentiat: præcepta tamen purè loquendi, & ornatè dicendi, & sapienter sentiendi distinguentur, neque confundentur. Quare Quintilianus ex hac rerũ dialectica distinctione rhetoricam sic definire debuit, vt ei doctrinæ propositam propriè & subiectam materiam à cæteris artium materiis distinctam & separatam primò comprehenderet vniuersam, deinde per partes diductam declararet. Atque vt istam rationem concludam, syllogismos duos repetam:

Si philosophia moralis pars esset Rhetoricæ, in aliqua eius parte explicanda esset.

At id nusquam vel à Quintiliano fit, neque fieri omnino debet.

Non est igitur pars Rhetoricæ. Item,

Partes materiæ (quæ Rhetoricæ arti subiecta est) duæ tantum sunt, elocutio & actio.

Rhetoricæ autem artis partes, sunt illius materiæ partes, eísque omnino respondent.

Rhetoricæ igitur partes duæ tantùm sunt, elocutio & actio.

At Quintilianus instabit, vt facit, in eodem proposito, & acrius videlicet vrgebit, quòd Rhetorica sit virtus (id enim est libri secundi capite secundo) quòd orator esse nisi vir bonus nemo possit (quod est duodecimi libri capite primo) & idcirco, opinor, virtutis doctrinam Rhetoricæ partẽ esse concludet. Quod vtrũque tamen ad opinionem Quintiliani falsum videri ne-

Rhetorica non est virtus moralis, vt Quintilianus putat.

cesse est. Rhetorica enim virtus est quidem, sed mentis & intelligentiæ, vt omnes honestæ & liberales artes, quas tamen qui habeant, possint improbissimi homines esse. Non est autem moralis virtus Rhetorica (vt putat Quintilianus) vt qui ea præditus sit, non bonus esse non possit: quãuis id Quintiliano philosophi quidam Stoici (vt libro secundo significat) hisce consectariis acutè colligere videãtur. Consonare sibi in faciendis & non faciendis virtus est, nempe prudentia. Ergo consonare sibi in dicendis & non dicendis virtus erit. Item, Si virtus est, cuius initiũ à natura datum est, Rhetorica virtus erit: quia eius initium est à natura. Verùm hæc vtraque tam acuta conclusio contorta & fallax est. Nam neque prudẽtia moralis est virtus, sed intelligẽtiæ & mentis est virtus: nec ideo Rhetorica virtus moralis erit: & absurdum est ea virtutes morales putare, quorum initia à natura sint, quasi non magis sint initia vitiorum à natura, quàm virtutum. Quare Quintilianũ philosophi isti decipiunt, & illi fraudulentum sophisma pro certo syllogismo contexunt. Pergit tamen Quintilianus, & à seipso affert, Dialectica est virtus, ergo Rhetorica. Immutet totum contrà Quintilianus, & rectius concludet, Dialectica non est moralis virtus, quæ virum bonũ possit efficere: quare neque Rhetorica. Tum addit, Orator nihil potest in laudando, nisi honestorum ac turpium peritus, in iudiciis, si iustitiæ sit ignarus, in turbulentis populi minis, si timidus. Quid tum, Quintiliane? An qui nouit & honesta & iusta, honestus & iustus est?

Quotusquisque heluo est & sicarius, qui quid honestum iustumq; sit ignoret? Si timidus sit orator in causa Milonis, non bene dicet (ais) Quid tum postea? An ideo Rhetorica erit fortitudo? Non poterit sanè grammaticus rectè loqui, si timeat, quia longas pro breuibus, aut breues pro longis timore cõturbatus enũtiabit: & memoria cõturbata barbarismos & solœcismos faciet. Ergo grammatica virtus moralis est? quænam fuerit ista complexio? Aliud verò est alterum alteri esse necessarium, aliud eius esse partem & membrum. Dixeris sanè virtutem moralem vtilem, & ad omnium artium vsus accommodatam, non inficiabor: artem vllam virtutem esse moralem nequaquam tamen concedam. Postremum etiã quisquilias ineptißimas Quintilianus colligit, quòd in bestiis sit virtus, & in latronibus fortitudo: nec mirum ideo, si sit eloquentia moralis virtus. At Quintilianus iam non videtur Dialecticæ expers & ignarus esse, sed vniuersæ omnino philosophiæ, & eius maximè philosophiæ, quæ de virtute præcipit. De virtute morali loqueris Quintiliane, quæ bonos & honestos & laudabiles efficiat cultores sui, neque tamẽ consideras quid loquare, cùm bestiis eã & latronibus attribuas. Meliora verba quæso imposterum, vel meliora potius cõsilia meditere. At enim non quiescit Quintilianus tamen: duodecimo libro ad istam quæstionem relabitur, & similes apinas aggregat. Mẽs mala Rhetoricæ vacare nõ potest (ait) Item maxima pars Rhetoricæ est de bono & æquo, tum virtutis authoritas valet ad persuadẽdum. Quo-

rũ duo prima perridicula & perabsurda sunt: tertiũ illi simile est, Timidus orator non bene orabit. Verun-tamen ista prætereamus. Atque interea neque philo-sophiam moralem Rhetoricæ partem, neque ipsam Rhe toricam omnino moralem virtutem esse teneamus, vt Quintilianus existimauit. Veniamus ad illud potius (quod ait) à se nunc oratorem perfectum informari, qui non possit esse nisi omnibus animi virtutibus in-structus & ornatus: & idcirco moralis philosophia Rhetoricæ pars & in oratoris definitione virtus collo-canda sit: hoc enim reliquũ est quo videatur error hic vniuersus posse sustineri. Enimuero si perfecti oratoris nomine iam nũc informatur politicus ille vir, qui pu-blicas & priuatas causas ciuium suorum tractare di-cendo, qui virtutis authoritate, quíque orationis sua-uitate possit animos audientium impellere quò velit, qualem significat poeta,

Orator per-fectus esse potest sine philosophia

Tum pietate grauem, ac meritis si fortè virum quem
Conspexere, silent, arrectísque auribus adstant:
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

si, inquam, vir ille politicus omnibus artibus & vir-tutibus instructus à Quintiliano definitur: de tam multis artibus & virtutibus non vna rhetorica, sed omnes artes & virtutes (quoniam ex his constat poli-tica illa facultas) exponẽdæ describẽdæq; essent Quin-tiliano, grammatica, rhetorica, dialectica, mathema-ticæ artes, philosophia tota. At Quintilianus id non fecit. Quare Quintilianus perfectum illum oratorem (quem dicit) non informat, sed (vt antè dixi) vnam

quandam de liberalibus disciplinis disciplinam cogitat: quam vt mirabiliorem faciat, hoc modo cõturbat, & seipsum hac ratiocinatione decipit, Non potest perfectus orator esse sine philosophia: Ergo philosophia pars est rhetoricæ. Verùm Quintilianum hîc ego dupliciter lapsum esse arguo & reprehendo, & quòd argumento falso, & quòd argumentatione captiosa tam imprudẽter vtatur. Neque enim verum est rhetoricam sine philosophia morali exerceri, & quantum liceat, perfici non posse. Potest enim nondum percepta philosophiæ moralis scientia omnis elocutionis doctrina & troporum & figurarum, item omnis actionis varietas & vocis & gestus propositis primùm oratorum & poetarum exemplis explicari, vt istæ dicendi laudes illic aperiantur & exponãtur, & imitationis genere tum scribendo, tũ dicendo exprimantur, atque omnino tandem quouis exercitationis modo tractẽtur & exerceantur. Duæ autem illæ partes, elocutio & actio, rhetoricæ artis partes solæ veræq; sunt, vt antea demonstraui: atqui sic est docendarum artium ordo, vt prima cùm sit grãmatica, sine reliquis intelligi & exerceri possit: secunda rhetorica sine grammatica nõ possit, sine cæteris omnibus autem possit. & vt grammaticus perfectus, id est præstans & excellens (perfectum enim omnino nihil est nec in natura nec in arte nec in vsu, quibus tamen artes verè perficiuntur) sed tamen, inquam, vt grammaticus perfectus dicendus est, qui omnes artis suæ perfectiones est consecutus: sic orator planè perfectus habendus est, qui oratoriæ doctrinæ cõ-

ſummatas & perfectas laudes adeptus eſt: alioqui ſi plures artes adiungas, fuerit ſane hominis qui eas habeat, perfectio maior, ſingularum ſane artiũ perfectio maior non erit, ſed multarum perfectio artium coniuncta erit: perfectio & abſolutio Arithmeticæ, nõ eſt geometriæ perfectio: artium enim perfectiones ex ipſis artibus æſtimandæ & metiendæ ſunt, non extrinſecus ex alienis rebus accerſendæ. Quamobrem qui puer in dicendo & tropis & figuris variare orationem didicerit & ornare: item & voce & geſtu congruenti pronuntiare, is mihi perfectus orator erit, ſi quid perfectum in artibus exiſtimandum eſt, quia omnes artis oratoriæ perfectiones, id eſt, virtutes & laudes ſit amplexus. Quod ipſum Quintilianus lib. 2. (ſed quid agat imprudens) confirmat. Finem oratoris non eſſe perſuadere ait, quia id in euentu fortuito (quem ars præſtare ſua vi non poſsit) poſitum ſit, ſed bene dicere, vt qui bene dixerit, quanuis non vincat, tamen finem ſit
„ *aſſecutus, quoniã id quod arte cõtinetur, effecit. Nam,*
„ *ait, & gubernator vult ſalua naue in portum peruenire: ſi tamen tempeſtate fuerit abreptus, non ideo ma-*
„ *lus erit gubernator, dicetq; notum illud, dum clauum*
„ *rectum teneam. Hic Quintilianus & verè & magnificè ſentit finem, id eſt, abſolutam perfectionem rhetoricæ non eſſe in rebus alienis & externis, ſed in propria artis ipſius poteſtate. Quare non pudeat Quintilianũ, ſi non à nobis, à Quintiliano certè ipſo de tanto errore admoneri. Dicit initio rhetoricam perfectam ſine philoſophia non eſſe, dicit contrà poſtea rhetoricam totam*

in sese conuersam esse, & eius finem atque perfectionem non extrinsecus aliunde pendere, sed ipsa arte omnino penitúsque contineri. Quare concludamus sine philosophia rhetoricã perfici atque absolui posse. Attamen vide quantam licentiã, iuris nostri æquitas fiduciáque nobis largiatur. Cõuici tot argumẽtis fallaciam argumenti, quo Quintilianus inductus est: cõcedo tamen ac permitto vt id omne verißimum & certißimum iudicetur, si, quod vult Quintilianus, hinc effici possit. Esto igitur non poßit sine reliquis artibus ac virtutibus, non poßit sine philosophia rhetoricæ vsus perfectus & absolutus esse, an tamen consentaneum fuerit rhetoricæ partem statuere quicquid ei vtile cõmodũq; fuerit? Dicatur de dialectico, de Arithmetico quod de oratore Quintilianus dicit: nõ potest dialecticus, non potest arithmeticus sine rerum omnium sciẽtia perfectus esse: quoniam omnium artium (quæ ad humanitatem pertinent) vsus communi quodam vinculo connexus & quasi cognatione coniunctus est: quis tamen credat dialecticum & arithmeticum rectè definiri, si dicatur vir bonus disserẽdi vel numerãdi peritus, dicaturq; omni sciẽtia & virtute perfectus? Aliud est aliquid esse necessarium, aliud est esse proprium: nõ potest tectum domus sine fundamẽto, sine terræ solo, sine deo denique esse: ergo definiendo tecto omnia ista comprehendam? Nimis absurdus hic error fuerit. Quare Quintilianus & in argumento & in argumentatione labitur. At populus sic oratorẽ appellauit (inquies) fateor, inquam, & hanc definiendi oratoris tam insci-

Non quia philosophia necessaria esset oratori, ideo pars esset rhetoricæ

atoris non vnde.

tam inſcitiam ab imperitæ plebeculæ inſcitia profectã cõcedo. Vocabatur vt in Græcia ῥήτωρ primũ, ſic deinde in Italia orator is, qui cauſas ciuium ageret, quales aduocati ſunt, qui nunc vocantur, & à rhetorica rhetores, vt à grammatica grammatici dicti ſunt: quia primùm rhetorica præcepit de tropis, de figuris & de his rebus, quæ rhetoricæ propriæ eſſent, nullius præterea diſciplinæ communes. Deinde cum rhetores diſciplinæ ſuæ adiungerent, quæ dialecticorum eſſent, inuentionem, diſpoſitionem, memoriam, multa etiam alia confunderent, rhetoris nomen retentum eſt, tandem etiam ſub eodem nomine & leges, & philoſophia, & mathematicæ artes, & hiſtoria, & virtutes ſunt exaggeratæ, & orator is appellatus, qui hæc omnia cum eloquentia iunxiſſet. Verùm in tradendis artibus nõ arbitror incertum vulgi errorem, ſed certam veritatis legem ſequendam eſſe. Conſtet igitur vitioſam & redundantem eſſe definitionem, qua nobis oratorẽ Quintilianus informauit: conſtet philoſophiã moralẽ rhetoricæ partem nõ eſſe, cùm ad nullam rhetoricæ partem referatur: cõſtet partem non eſſe quia in nulla materiæ ſubiectæ parte contineatur: conſtet Stoicorum rationes falſas & captioſas eſſe: conſtet denique magnificam iſtam oratoris definitionem vanitatis plenam, veritatis inanem eſſe. Sed ſatis de oratoris definitione, in qua tametſi Quintilianus nec ſatis acutus eſſe, nec ſatis accurate diſſerere videatur, acutior fortaſſe ac prudentior in partitione quæ ſequitur, erit. Summa igitur operis Quintiliano ad exornandum

Partitio Quintiliani.

oratorē propositi partitio in duodecim libros includi-
» tur: Primus liber, ait, ea quæ sunt ante officiū rhetoris
» continebit. Secundo prima apud rhetorem elemēta, &
» quæ de ipsa rhetoricæ substātia quærūtur, tractabimus.
» Quinque deinceps inuentioni: nam & huic dispositio
» subiungitur. Quatuor elocutioni (in cuius partē me-
» moria ac pronūtiatio veniunt) dabūtur. Vnus accedet
» in quo orator ipse informandus est, vt qui mores eius,
» quæ in suscipiendis, discendis, agendis caußis ratio,
» quod eloquentiæ genus, quis agendi debeat esse finis,
» quæ post finem studia, quātum nostra valebit infirmi-
» tas, disseramus. Hæc Quintiliani partitio est, in qua
diligentiam Quintiliani magnam, vt in definitione
quidem video. Omnia enim quæ Græci, quæ Latini
de oratore tradiderunt, in vnum locum collegit: iudi-
cium autem requiro. Eius autem partitionis (exceptis
pauculis quæ in elocutionis & pronuntiationis do-
ctrina traduntur) cætera partim falsa, partim inepta,
omnia certè sine dialectico lumine confusa & aliena
esse confirmo. Primus liber (ait) continet ea quæ sunt
ante officium rhetoris. Sunt igitur, inquam, ista
Rhetoricæ artis aliena, nec cùm de Rhetorica scribitur,
in præceptis ponēda. Atque in his rebus alienis quatuor
scholæ formandi pueri, qui futurus sit orator, à Quin-
tiliano describuntur. Prima schola tribus primis ca-
pitibus traditur, de prima pueri infantis educatione,
quod ad nutrices, parentes, sodales, pædagogos, literas
Græcas & Latinas ad discēdi & tēpus, & locum, &
modum, & ad initia denique mox cognoscendarum

Prima pueritiæ schola aliena est à rhetorica.

artium, de literarum ordine, de scribendo, legendo, de memoria, de pronuntiatione attinet. In quibus licet res veræ & notabiles sint, & ad primam puerilis institutionis scholam necessariæ, cùm tamen tam multi & Latini, & Græci scriptores de hac prima puerorum educatione & schola, tam multa literis prodiderint, quis vnquam Rhetoricæ institutionis hoc esse dixit? quis in Rhetoricas institutiones vt proprium aliquid inclusit? An non est ista & Senatoris, & Imperatoris, & iureconsulti tam propria doctrina, quàm oratoris? Artes non solùm veris, sed etiam propriis institutis informandæ sunt: atque aliud est esse aliquid vtile, & verum, & laudabile, aliud esse alicuius artis proprium. Hæc igitur schola Rhetoricæ artis nihil est, neque hîc cogitatio perceptióque rerũ, sed æstimatio Quintiliano, sed syllogismus defuit: vna enim conclusio ista omnia inducere poterat,

Quæ artium præceptis includi debent, sunt earum propria.

Hæc non sunt Rhetoricæ propria:

Ne igitur huc includantur.

Neque porrò huc recurramus, Non potest orator sine hac educatione puerili existere: causa ista remotior est, Non potest fortasse esse medicus perfectus sine eadem disciplina, non audiã tamen in medicina de isto puerili ludo præcipientem medicum. Nouem proximis capitibus secundæ scholæ grammaticus ludus aperitur, de qua primum idem sentiendum, quod de superiore: sint ista præcepta vera, sint vtilia, sint oratori futuro ne-

Secunda schola quæ est grammaticæ, à rhetorica aliena.

cessaria, quid tum? An idcirco in oratoriis institutionibus admiscendæ? Nónne philosopho sunt eadem Grammaticæ studia necessaria? Quis philosophum tamen ferret in philosophia de Grammaticorum artibus balbutientem? Hæc oratori quidē ignoranda non sunt: non nego: verùm cognoscantur à grammaticis, & cognita adferantur ad rhetoricam. Syllogismus idē erroris huius, qui prioris iudex esto. Non est ista schola oratoris propria: ex oratoria igitur arte tollatur. Sed tamen in ista schola vehemētius offendit Quintilianus, q̄ in prima. Nec enim res alienas & improprias hîc esse tantum dico, sed falsas & in arte & in artis exercitatione. In grammatica enim par ferè & idem Quintiliani error est atque in tota rhetorica. Grammaticæ partes duas facit, methodicen & historicen: illi recte loquendi & scribendi scientiam, huic enarrationem poetarum subiicit: in illa priore præcipit quædam, sed confusè, de accentu literarū & syllabarum, de ætymologia partiū orationis, de syntaxi, de orthographia: quæ grammaticæ & omnes & solæ partes sunt. Ad posterioris partis necessitatem subiicit grammatico ad poetas explicandum, historias, musicam, astrologiam, philosophiam, rhetoricam ipsam denique, cuiuis tamē famulam quandam grammaticam esse velit. Qui error ex imperitæ plebeculæ (vt de oratore dictum est) errore profectus est. Dicebantur enim quondam grammatici vulgo, qui in literis pueros instituebāt & eis poetas enarrabant, quo in munere adhibenda esset artium præter grammaticam variarum cognitio. Nec tamen

Grāmaticæ vitiosa partitio.

Grāmatici nomē vnde.

vulgus intelligebat doctorem illum, qui in poetis explicandis varias artes doceret, esse quoque & historicum & musicũ, & astrologum, & philosophum, & rhetoricæ peritum, non autem grammaticum tantum. Verùm Quintilianus in explicandis doctrinæ præceptis acutius, quàm vulgus discernere ista debuit, & intelligere historicen (quam dicit) nullam esse grammaticæ partem. Nam si magister iste in declarando poeta non exerceat solùm artes & ætymologiæ & syntaxis, & prosodiæ & orthographiæ ad purè & propriè loquendum & scribendũ, sed ethicam scientiã adiungat ad mores exponendum, astrologiam ad ortus & occasus syderum declarãdum, & cæteras artes ad res illis subiectas artibus exprimendum, certè id faciet non grammaticæ, sed illarum disciplinarum facultate. Quod idẽ Quintilianus lib. 2. capite 1. ferè ait, sed per imprudẽtiam multa conturbat. Quamobrem, vt de plerisque aliis in his sex capitibus taceam, partitio ista grãmaticæ in methodicen & historicen falsa est, non modò ista tot capitum schola à rhetoricis institutionibus est aliena. Ab hac tam elegãti, támque dialectica descriptione grammaticæ artis transit Quintilianus ad eius exercitationem de authoribus grammatico explicandis, de doctoris officio, de scriptione pueri. Solos autem iubet poetas Homerum imprimis & Virgilium pueris prælegendos esse: in quo vehementer ab eo dissentio. Nam vt poetas ad excitãdum variis affectibus teneriũ adhuc ingenium, ad prosodiæ (cùm versuum legibus syllabarum quantitas intelligatur) rationem legendos

Grãmaticæ exercitatio non rectè tradita.

in paruis tamen duntaxat & exiguis rebus existimo, sic ad oratoriam verborum copiam ac forensem & ciuilem elocutionis vsum, ad proprietatem & elegantiam dictionis comparãdum epistolas Ciceronis, quàm elegias Ouidij, & fabulas Terentij, quæ sermonis ferè quotidiani similes sunt, quàm eclogas Virgilij malim. Alia siquidem est carminis, alia orationis elocutio. Atque hac occasione tam alienæ institutionis factum fortasse est, vt Quintiliani à Cicerone tam longè abesset oratio, quoniam non imitandam Ciceronis & oratorum Ciceronis similium, sed poetarum dictionem sibi proposuerit. Labitur igitur hîc primùm Quintilianus, quòd poetas solos pueris proponat. Iubet deinde vt in docendo & explicando poeta, grammaticus præstet illa quidem minora methodices munera de pedum proprietate, de significatione verborum: sed maiore cura, inquit, tropos, figuras verborum & sentẽtiarum doceat: præcipuè verò illa infigat, quæ in œconomia virtus, quæ in decoro rerũ, quid personæ cuique cõueniat, quid in sensibus laudandum, quid in verbis, vbi copia probabilis, vbi modus. Hæc Quintilianus de grammatici officio, vbi videmus de duabus grammaticæ partibus (quas fecit) methodicen (quæ sola propria eius artis tãtum erat) penè contemni: historicen, quæ grammaticæ nihil esset, vnicè cõmendari. Verùm enimuero ô Quintiliane, differat hic magister, aliena ista quanuis excellẽtiora & rhetoricorum ac philosophicorum studiorum (quorum propria sunt) tẽporibus reseruet. Illa autẽ disciplinæ suæ propriè subiecta omni cura diligentiaq;

Quare Quintiliani dictio Ciceronianæ tam dissimilis.

Grãmatici officium nõ rectè descriptum.

tractet & exerceat, hîc commoretur, hîc habitet, hoc munus suũ omnibus modis exornet, explicet in dictionibus singulis primam & natiuam significationem, tum phrasis & elocutionis rationem exẽplis illustret, sit aßiduus in exigendis literarum sonis, in accentus obseruatione, in orthographia, denique hoc ad se pertinere & totum & solum arbitretur, vt puerum sibi in disciplinam traditum rectè & loqui & scribere doceat: de maioribus autem illis & altioribus quæ tam vehementer hîc commendas, tantum duntaxat adhibeat, quantum satis erit ad hoc methodices quod aspernaris, munus tuẽdum. Vbi verò puer grammaticæ partes omnes & loquendo & scribendo diligenter exercuerit, tum rhetoricas meditationes in tropis & figuris, philosophicas in reliquis laudibus adhibebit. Quod idem Quintilianus ipse postea ait, sed imprudens, vt aliàs tam sæpe, seipsum conturbat: sic enim ait huius
„ *libri capite septimo, Hæ ferè sunt emẽdatè loquẽdi scri*
„ *bẽdiq; partes, duas reliquas significãter & ornatè di-*
„ *cẽdi non quidem grãmaticis aufero, sed cũ mihi officia*
„ *rhetoris supersint, maiori operi reseruo. Et postea capite 1. lib. 2. quæritur à grãmaticis occupata esse rhetoriũ officia. Grãmatica doctrina est bene loquẽdi & scribẽdi, ait Quintilianus: Attamen idẽ Quintilianus iubet vt grammaticus doceat potius & ornatè ex tropis & figuris & sapienter ac decorè ex consilio, iudicio, prudentiáque rerum, quàm bene loqui & scribere. At ista grammaticæ sola sunt, illa sunt rhetoricæ ac philosophiæ. Quare Quintilianus grãmatici doctoris pro-*

pria officia isto modo non describit, sed aliena & impropria valde imprudenter confundit: in superioris illius erroris laqueos rursus incidit. Postremum est in
„ exercitatione grammaticæ artis vt puer, ait Quintilianus, poetarum sibi propositorum versus soluat, mox
„ mutatis verbis interpretetur, tum paraphrasi audacius
„ vertat, breuiet quædam & exornet, sententias propo-
„ sitas subiectis rationibus explicet. Verùm puer iste Romanus doctori grammatico commissus quomodo Homerum mutatis verbis explicabit, qui Homeri verba nisi prius à magistro sibi exposita intellecturus non fuerit? Neque enim Græco grãmatico Romanus puer instituendus traditur, vt parta orationis facultate ad res alias vtatur: vnde enim parta illi infanti esset? sed vt sermonis facultatem audiendo, legendo, imitando consequatur. Et hic tertius exercitationis error par est secundo. Vt enim grammatico præceptori in docendo, sic nunc eiusdem artis auditori in discendo non grammaticæ, sed rhetoricæ, sed confirmatæ iam planè & artis & exercitationis munus imponit. Quamobrẽ Quintilianus in hac secunda schola longè grauius errat, q̃ in prima. Illic enim res alienas tradebat, hîc etiã falsas conturbat: & in arte grammatica, cuius partem historicen facit, & in artis exercitatione, tũ quòd solos poetas legendos proponat, tum quòd magistrum & discipulum isto modo instruat. Atque hîc non dico in conquirendis & inueniendis rebus Quintiliano curam defuisse, sed iudicij prudẽtiam, sed syllogismi rationem vehementer in eo desidero. Reliquis primi libri tribus

capitibus duæ quædam nouæ ſcholæ Fabiano oratori deſcribuntur: in quarum altera mathematicas artes cognoſcat, in altera ad vocis & actionis dignitatem comœdos, tragœdos & palæſtritas magiſtros adhibeat. De mathematicis autem magis, quàm de grammaticis mirum eſt in rhetoricis artibus ita præcipi, quanquam nihil admodũ Quintilianus præcipit, ſed tamen finge mathematicas artes ſingulariter à Quintiliano inſtrui, quis erudiendæ iuuentutis hic ordo fuerit? Rhetorica in elocutionis & actionis ratione, dialectica in præceptis & inuentionis & diſpoſitionis omnibus mathematicis artibus generalior & cõmunior eſt, & ab illis vniuerſis ſcientiarum fontibus ſingulares hi mathematici tanquam fontes fluxere. Cognitionis igitur ordine & rhetorica & dialectica præcedunt: mathemata omnia ſequũtur: nec contrà pro Quintiliano dici poteſt olim ſic artes ipſas pueris traditas eſſe. Nam mathematicæ artes primæ & diu artes ſolæ fuerunt, nec aliæ poterãt prius explicari, quæ nullæ eſſent, Quandiu enim lingua fuit integra, grammatica nulla ferè fuit, & de rhetorica nihil admodũ ante Iſocratem fuerat inſtitutum. Verùm cùm res non doceri ſolũ & percipi, ſed facilè & doceri & percipi repertis ad id artibus poſſint, non iam quid ſolitum ſit aliquando fieri, ſed quid tandem oporteat fieri quærendum eſſe arbitror. Præcipiunt vna quaſi voce omnes omnium magiſtrorum ſcholæ, progreſſiones & inſtitutiones artium ab vniuerſis ad ſingularia tendere. Quare grammaticam, rhetoricam, dialecticam præcedere: mathematicas

Tertia ſchola de mathematicis artibus, quæ poſt rhetoricam docẽdæ ſunt, nõ ordine præpoſtero confundendæ.

artes sequi necesse est. Hoc veritatis fundamẽtum, non consuetudinis abusum sequor. Ad comœdos, tragœdos & palæstritas à mathematicis nos mittit Quintilianus, vtiliter fortasse si Quintiliani tẽpore viueremus: quia tum illi homines in propria & vocis & corporis formatione studiose elaborarunt, verùm artis scriptori non conuenienter. Artes enim rerum constantium & perpetuarum & immutabilium esse debent, & eas ideas tantum spectare, quas Plato signi negat, & ait semper esse. Tẽpus autẽ nullũ fuit, locus nullus fuit, nec erit, quo non possit ornatè dici, quo moderatio & vocis & gestus non possit adhiberi. Tempora & loca multa fuerunt, eruntq́, vbi comœdi, tragœdi, palæstritæ nulli fuerũt, nec erunt: Non igitur rectè facit Quintilianus, qui artẽ perpetuã & immutabilẽ tam incertis magistris subiiciat. Atque in his omnibus scholis adhuc videmus, q́ nõ absint rerũ varietas & copia, sed q́ syllogismi & iudicij ratio desit. Quicquid Quintilianus credidit oratori commodum fore, huc coniecit, non consideranit an esset propriũ huius institutionis. Ad dialecticã omnes istas scholas referamus, eius iudicio permittamus: prima infantiæ schola rhetoricæ nihil est, secũda schola grãmaticæ est, & multis partibus falsa, nõ solum rhetoricæ aliena est: tertia & quarta omnino item alienæ, & varia ratione cõfusæ. Quam igitur dialecticæ sententiam expectemus, nisi vt à rhetoricis institutionibus scholas omnes istas non solùm improprias, sed falsas, & ineptè confusas expelli atque exterminari iubeat? Atque hæc de primo libro. Secundo

Quarta schola apud comœdos & tragœdos, & palæstritas.

Exercitatio artis nõdũ descriptæ varijs rebus à Quintiliano confusa.

prima apud rhetorem elementa, & quæ de ipsa rhetoricæ substantia quæruntur, tractantur, ait Quintilianus. At tria primùm magna & ampla capita sunt de tempore pueri ad rhetorẽ deducendi, de moribus & officijs præceptoris, An optimo præceptore protinus sit vtendum, antequam de primis rhetoricæ exercitationibus dicatur. Quæ ipsa fac esse certa, vera, laũdabilia, vtilia: propria tamen huius artis & doctrinæ ad breuem & perspicuam docendi viam descripta quomodo faciemus? Quæreret Donatus in explicatione suæ artis similia, quando puer è domestica disciplina ad grammaticum deducendus, quales grammatici mores esse debeant, an protinus optimo grammatico sit vtendum: illa tam vtiliter in grammatica & omni disciplina quærerẽtur, quàm quærũtur hîc in rhetorica. Sed nõ omnia quæ verè, quæ vtiliter quæri possunt, possunt etiam propriè & instituto conuenienter quæri. Optimus præceptor viam facilem & breuem in docendo sequi debet: cur igitur tot diuerticulis, tot mæandris, tam spinosa, tam tortuosa via initur? Hîc diligentiam & curam maximam in accumulandis rebus agnosco, dialecticam in discernendis & æstimandis nullam prorsus agnosco. Quatuor deinde capitibus de rhetorica exercitatione admodum confusè agitur, primò vt in narratione & fabulæ & argumenti & historiæ, confirmandi, refellendi, laudandi & vituperandi opere, pueri exerceantur. Hoc Quintiliani præceptum non totum, sed ex parte reprehendo, quia nec loco, nec ordine positum sit. Ars primum describatur, tum demonstre-

tur exercendæ artis ratio in ſcribẽdo primùm, tum etiã in dicẽdo. Sed tamen totam exercitationis diſciplinam hoc loco traditam videamus. Quintilianus dederat antea grãmaticis exercitationibus poetã ſolùm: nunc hiſtoricum primò, oratorem deinde rhetoricis meditationibus attribuit: vt primò poetæ, deinde hiſtorici tandem oratores pueris prælegantur. De poetis antea iam dixi, & valde miror Quintiliano id in mentem veniſſe, vt formando oratori putaret aptiores poetas & hiſtoricos, quàm oratores eſſe, cùm poetarum & hiſtoricorum non dico res permultas licentius & mollius expreſſas, ſed virtutes etiam pleraſque vitandas oratori vel in his inſtitutionibus Quintilianus moneat. An formabit oratorem melius Liuius aut Salluſtius, quàm Cicero? Ego verò vt poetæ formando malim Virgilium atque Homerum, cæteróſque poetas egregios & inſignes, quàm oratorem vllum: ſic inſtituẽdo oratori Ciceronem longè hiſtoricis ac poetis omnibus prætulerim. An verò maior eſt oratoris in hiſtoricis, quàm in oratoribus ſimilitudo? Quapropter non ſolùm alienum hoc totum caput, ſed totius capitis conſilium falſum iudico. Capita duo proxima ſunt de diuiſione materiarum, de dicendo, vtilia: eſto etiam vera. At nec loco, nec ordine ſicut ſuperiora duo poſita. Dixit antea Quintilianus de Grammatica arte prius, de artis exercitatione poſtea: & in eo rectè: Prius enim deſcripta cognitáque ſit ars, q̃ de artis exercitatione dicatur. Ars autẽ rhetorica deſcripta à Quintiliano nondũ eſt: de eius igitur exercitatione importunè iſto loco præcipi-

Non hiſtorici potius oratori, quàm oratores legendi.

tur: & iudiciũ hîc vt antea, syllogismúmque à Quintiliano requiro. Capita septem proxima quæstiones habent de ediscendo, de officio discipuli, de modo docendi discipuli, de vtilitate declamandi, an cognitio artis sit necessaria: quare ineruditi videantur vulgo ingeniosiores, quis modus sit in arte. Omnia sanè ad institutam artis Rhetoricæ descriptionem magis aliena, quàm illa de quibus adhuc disseruimus. Postremum de modo artis valde videtur verũ, quòd Rhetoricæ præcepta catholica non sint, sed ad temporis, loci, personæ, causæ varietatem commutabilia. At si ars rhetorica suis partibus elocutione & actione comprehensa sit, falsißimũ fuerit. Tam enim constans ferè ars erit Rhetorica, quàm arithmetica, vel geometria, & eius præcepta de elocutione & actione tã stabilia, quàm theoremata Euclidis de planitie ac linea. Sed Quintilianus suas institutiones, id est, ad forẽsium & ciuilium causarum Romanas formulas, astrictam variarum artium confusionem, Rhetoricam artẽ vocat: nec mirum est de tali arte dici, præceptis eius non esse confidẽdum, cùm tam fallacia, falsáque sint, non solùm omnibus locis, temporibus, personis non conuenientia. Atque hæc libro primo, & libri secundi capitibus tredecim Quintilianus extra rhetoricæ substantiam tradit esse. Reliqua capita octo libri secundi in partitione proœmio cõprehensa dicit de substantia Rhetoricæ esse: & sanè decimoquarto capite substantia Rhetoricæ quædã tractatur: vbi quòd etymon sit Rhetoricæ, Quintilianus videtur explicare velle, non satis explicat tamen: non

Rhetoricæ modus.

enim Rhetorices etymologiam omnino ostendit: qui dicit Latinè Rhetoricam vel oratoriam vel oratricem transferri, sed qui exponit quæ sit origo verbi, & vnde deducta significatio. Partitur totam doctrinam sequentem tres in partes, vt dicatur de arte, artifice, opere, partitione admodum ridicula & inepta. Definita enim prima parte, pars secunda tertiáque comprehenduntur. Non definitur in grammatica grammaticus, non grammatici opus: Non definitur in arithmetica, in geometria, arithmeticus, geometra, vel arithmetici, vel geometræ opus, quia ars demonstrat qualis artifex, quale ipsum artis opus esse debeat. Dialecticas igitur partiendi leges hîc à Quintiliano requiro. Cætera autẽ omnia tam perplexa, tam prolixa de variis & cõtrouersis rhetoricæ definitionibus, quòd Rhetorica vtilis sit, quid sit ars, & cuiusmodi, quòd ars plus quàm natura conferat, an Rhetorica sit virtus, quæ sit eius materia, planè sunt eius doctoris qui rudes & incipientes huius artis discipulos velit aut deterrere, aut frangere, aut fallere: quem doctorem tamen vehemẽter Quintilianus octaui libri initio & verè reprehendit: non eius qui via simplici & breui cupiat ad vsum artis perducere, quem eodem loco commendauit. Quid autem attinet omnium hominum errores de rhetoricæ definitione, vtilitate, arte veluti cumulare, falsa etiam conturbare, quòd cõsummatis oratoribus plus ars, quàm natura conferat? Distinguatur enim, vt decet, in hac perfecti oratoris quæstione, natura, ars, exercitatio, sanè primas (vt oratorio secun-

do Cicero rectè sentit) naturæ, secundas exercitationi, tertias & minimas arti tribuemus. Et hoc Quintiliani sophisma falsum esse demonstrabimus: qui cùm ait, consummatis plus adferre doctrinam, quàm naturam: vno artis nomine & naturam, & artem, & exercitationem comprehendat, cùm tamen cõparet in hac quæstione naturam cum arte: hîc dialectici salis ne mica quidem vlla est: nihil secernere: nihil syncerè ac constanter æstimare doctor iste potest: totus in dialecticis sanè plumbeus est. Sunt autem valde ridicula Quintiliani argumẽta in quæstione an rhetorica sit virtus, sed de his initio quia dictũ est, nihil necesse est iterum dici. Postremo capite valde occupatus est Quintilianus in inuestigãda Rhetoricæ materia: & varia dissidentiũ hac de re opinionũ sentẽtia: tandẽ cõcludit materiam Rhetorices esse, res omnes quæ ei ad dicendum subiectæ sunt. Quod sanè parum perspicuè & planè dictum est. Primùm quòd alia sit artis, artificis verò alia materia. Ars rhetorica sibi proponit naturalis vsus in bene dicentium exemplis obseruationem, quam præceptis explicet: artifex, id est, orator arte rhetorica instructus proponit sibi res omnes quæ dicẽdo possunt exornari. Sic materia grammatici, res omnes quæ sunt ei subiectæ ad rectè loquendũ aut scribendum: materia dialectici, omnes res ei subiectæ ad rectè disserẽdũ: materia arithmetici omnes res ei subiectæ ad numerandum: materia geometræ omnes res ei subiectæ ad metiendum. Sed tamen non repugno, quin ξοπικῶς aliquando dicatur materies artis, pro artificis materia.

Hanc igitur materiæ licet non ſatis explicatæ definitionem, tamen probo, & ad veræ Rhetoricæ proprias inſtitutiones accipio. Duobus enim primis oratoriarũ inſtitutionum libris ex tam multis ſcholis domeſtica, grãmatica, mathematica, comœdorum, tragœdorum, palæſtritarum, rhetorum tandem, hæc duo ſola ſunt, quæ in vera Rhetorica laudari & probari poſſunt. Rhetorica eſt bene dicendi ſcientia: materia oratoris eſt res quæuis ad dicendũ ei ſubiecta. Cætera verò tam multa, tametſi locis aliquot vera vtiliáque, tamen omnia in rhetoricæ artis accurata deſcriptione aut aliena omnino, aut certè præpoſtera ſunt. De duobus primis Quintiliani libris adhuc eſt diſputatũ, vbi grammatica imprimis confuſa eſt. Quinque proximis de Dialectica agitur, de inuentione quippe & diſpoſitione. Ergo de his partibus deinceps, & de capitibus etiã ſingulis eſt diſſerẽdum. Primo itaque capite libri tertij accumulat Quintilianus vnum in locum omnium huius artis magiſtrorum & Græcorũ, & Latinorum inuenta, & magiſtros ipſos nominatim recenſet, curioſa planè, ſed inutili diligentia. Nihil enim catalogus iſte tot nominum doctrinæ Rhetoricæ oſtendit, non magis quàm in grãmatica, ſi iſto vanitatis ſtudio omnes grãmaticæ ſcriptores nominatim perſequare: nihil inquã catalogus iſte doctrinæ oſtendit. Inopia iudicij & ſyllogiſmi, copiã vanitatis huius peperit. Tale caput proximum eſt, quo tamen loco non ſatis acutè Quintilianus Rhetoricæ cauſas & principia diſtinguit, naturam, vtilitatem, artẽ, exercitationem. Quid

Rhetoricæ principia, natura, vtilitas, ars, exercitatio non rectè ponuntur.

enim? an Plato & Cicero errarunt? an Quintilianus ipse libri huius capite quinto errauit, cùm docet tribus rebus Rhetoricam perfici atque absolui natura, arte, exercitatione? quid vtilitas habet à tribus illis causis & principiis diuersum? nihil enim est frustrà & sine vtilitate aliqua vel à natura propositum, vel ab arte descriptũ, vel ab exercitatione tractatum. Hæc dialectica partiẽdi elegãtia est, quod tribus membris debeas explicare, vno cõficto quatuor amplificare. Tertio capite diuiditur rhetorica in quinque partes, inuentionem, dispositionem, elocutionem, memoriam, & actionẽ. In qua partitione nihil iam miror Quintilianum dialectica tam nudum esse, qui dialecticam ipsam cum rhetorica hîc confusam non potuerit agnoscere, cùm dialecticæ sint, inuentio, dispositio, memoria: Rhetoricæ tantùm elocutio & actio. Ratio verò Quintiliani quare quinque sint istæ rhetoricæ partes ex vno & eodem erroris fonte defluxit, vnde superioris confusionis causæ fluxerunt: Non potest orator (ait Quintilianus) perfectus esse sine virtute, sine grãmatica, sine mathematicis artibus, sine philosophia. Oratoris igitur natura est ex omnibus his rebus definiẽda: Non potest (ait idem) grammaticus absolutus esse sine musica, astrologia, philosophia, rhetorica, historia. Grãmaticæ igitur partes duæ sunt, methodice & historice: ita nunc demũ Quintilianus ratiocinatur, non potest rhetorica cõstare, nisi res primò inueniatur, deinde disponatur, tum exornetur, postremò memoriæ mandetur & pronũtietur. Quinque sunt igitur hæ partes

Rhetoricæ partitio vitiosa.

rhetoricæ. Causa ista sine qua (vt quidam nominant) Quintilianũ sæpe fefellit & induxit. At ego longè aliter de proprietate & veris artiũ partibus disputandũ (vt iam dixi) & ratiocinandum duco. Artium materias distinguendas & separandas esse iudico. Dialectica mentis & rationis tota est, rhetorica & grammatica sermonis & orationis: Dialectica igitur inuẽtionis, dispositionis, memoriæ (quia mentis omnino sunt & intus sine vllo linguæ aut orationis auxilio exerceri possunt: vt in plerisque mutis, vt in multis populis, qui sine sermone vllo viuũt) artes proprias habebit. Grammaticæ tribuetur ad bene loquendum atque scribẽdum, in interpretatione etymologiæ, in coniunctione syntaxis, in syllabarum breuium & longarum pronũtiatione prosodia, in recta scribendi ratione orthographia. Rhetoricæ igitur ex sermonis & orationis cultu partes duæ solæ propriæ relinquẽtur, elocutio & actio: propriũ præterea ac suũ rhetorica nihil habebit. Neq; hîc Quintiliani modo disputo ex ea causa, sine qua res esse non potest: ex caussa propria & legitima disputo,

Grãmaticæ, rhetoricæ, dialecticæ distinctio.

Tot partes in vnaquaque arte sunt instituendæ nõ plures, quot sunt in propria eius & naturali materia:

In materia artis dialecticæ, id est naturali rationis vsu, vis est inueniẽdi, disponẽdi, & recordandi: Tot igitur partes sunt in ea explicandæ.

Item,

In materia rhetoricæ subiecta vis eloquendi & pronuntiandi sola continetur:

Tot igitur partes in ea sunt explicandæ.

Item,

Partes alterius artis non sunt in arte rhetorica permiscendæ:

Inuentio, dispositio, memoria alterius disciplinæ partes sunt, nempe dialecticæ:

Non sunt igitur in rhetorica permiscendæ.

Partes autem illas esse dialecticæ Quintilianus suo nobis etiam testimonio locis aliis demonstrat: libri enim quinti capite postremo de dialecticis sic ait, Nāque illi homines docti & inter doctos verum quærētes minutius ac scrupulosius scrutantur omnia, & ad liquidum confessumq; perducunt, vt qui sibi inueniendi & iudicandi vendicent partes, quarum alteram ὑπιὼν, alteram κρίνων vocant. Hic Quintilianus dicit à dialecticis & inuentionem & iudicium (quod magnam dispositionis in singulorum argumentorum conclusionibus & syllogismis partem continet) vendicari: Et de memoria ait tādē libri vndecimi capite secūdo, si quid artis habeat, id totum dispositionis & ordinis esse. Dicat igitur à dialecticis istam quoque partem posse merito vendicari: quia in dialectica verè descripta ordinis & dispositionis ex syllogismi & methodi præceptis doctrina verißima doceatur. Refellit hoc capite Quintilianus varias opiniones de numero harum quinque partium, sed ita plerunque vt ipse multò grauius labatur, quàm hi quorum lapsus reprehendit. Quidam adiiciebat iudicium tanquam ab inuentione & dispositione diuersum. Hos reprehendit Quintilia-

Quintilianus nullam putat esse iudicij doctrinam.

nus rectè: verùm argumento non recto, sed valde veri iudicij ignaro atque imperito. Iudicium Quintilianus inuentioni, dispositioni, elocutioni, pronuntiationi sic commistum arbitratur, vt ab his separari doctrina & præceptis non poßit: nec omnino intelligit vllam esse iudicij doctrinam, sed (vt postea in extremo volumine sexto est) existimat non magis arte tradi posse, quàm gustum vel odorem. Ita se Quintilianus dialecticæ valde ignarum profitetur, qui de iudicandi parte, de tot syllogismorum & simplicium & coniunctorum modis neque quidquam vel audierit vel legerit, qui non meminerit à Cicerone de stoicis ita dici, quod in altera dialecticæ parte duntaxat elaborarint, inueniendi artes non attigerint, iudicandi vias diligenter persecuti sint. Neque verò audiendum quod existimari forsan poßit, aliud esse rhetoricum, aliud dialecticum iudicium: Vnum enim est hominis iudicium ad quiduis æstimandum an id verè expediat, conueniat, deceat, an tale omnino sit, quale esse videatur, quod syllogismo solo præstatur atque efficitur: nec aliud est quidquam verum vel falsum regula syllogismi perspici, quàm verè an falso dicatur quodcũque in controuersiam & contentionem adducitur. Hîc quid dicam iudicij doctrinã, syllogismi disciplinam Quintiliano defuisse, cùm ipse neget vllã omnino esse posse? Quid pluribus argumentis iam contẽdam in dialecticis rudem Quintilianum esse? Non enim solùm confitetur quod arguo, sed profitetur. A dialecticis ait duas artes vẽdicari, alteram inueniendi, alteram iudicãdi:

ait quidem, sed nõ credit, quia affirmat iudicij artem nullam esse. Pergamus igitur, & contra rhetorem hunc iudicij arte & doctrina carentem, iudicij tamen arte vtamur. Sententiam eius reliquis de rebus ad dialectici iudicij normam referamus. Deinde verò mirabiliter cõfusa est institutio. Quarto, quinto, sexto, decimo, vndecimo capitibus agitur de oratoris materia & eius diuisione. Hanc igitur primùm de quæstione contẽtionem expediamus. Tria causarum genera à Quintiliano primùm constituuntur, demonstratio, deliberatio, iudicium: eiúsque partitionis Aristoteles author adhibetur, is scilicet, qui omnium in hac arte tenebrarum inuentor & author propemodum solus fuit, qui dialecticam inuentionem primus in rhetorica arte conturbauit, qui quæstiones tã ineptè, támque ridiculè (quàm in Aristotelicis animaduersionibus docuimus atque hîc repetemus) distribuit. At partitionem hanc primùm esse falsam dico: quia sint quæstiones innumerabiles, quæ nulla horum generum parte contineantur, quod Quintilianus vidit, cùm ait, Verùm & tum leuiter est tentatum, cũ apud Græcos quosdã, tum apud Ciceronẽ in libris de oratore, & nunc maximo nostrorum temporum authore, propè impulsum, vt non modò plura hæc genera, sed etiã penè innumerabilia videãtur. Nam si laudandi ac vituperandi officiũ in parte tertia ponimus, in quo genere versari videbimur, cùm quærimur, consolamur, mitigamus, concitamus, terremus, confirmamus, præcipimus, obscurè dicta interpretamur, narramus, deprecamur, gratias agimus,

De quæstionum & statuum generibus.

Aristoteles author tenebrarum.

Non solùm tria sunt genera causarum, & quomodo falsus sit Quintilianus.

„ gratulamur, obiurgamus, maledicimus, describimus,
„ mandamus, renuntiamus, optamus, opinamur, & plu-
„ rima, vt mihi in illa veteri persuasione permanenti
„ velut petẽda sit venia, quærẽdúmque quo moti priores
„ rem tam latè fusam, tam breuiter astrinxerint. Hæc
ille recitat ad põpam quandã, vt rem difficilè soluisse
videatur: neque videtur argumẽti vim (quo contra se
vtitur) intellexisse, sed captiosa & fallaci solutione
cõtẽtus seipsum cæpit & fefellit. Sic autẽ Quintilianus
„ sibi videtur huic occurrere obiectioni: Mihi cuncta ri-
„ manti (ait) talis quædam ratio succurrit, quòd omne
„ oratoris officium aut in iudiciis est, aut extra iudicia.
Esto: quid tum? Eorũ de quibus iudicio quæritur (ait)
„ manifestum genus est. Concedo: quid deinde? Ea quæ
„ ad iudicem non veniunt (ait) aut præteritum habent
„ tempus, aut futurum: quamobrem, inquam? an nul-
la de re præsenti quæstio, nulla disputatio, nulla di-
cendi occasio potest existere? Cùm de hac syntaxi, de
hoc quadrato, de hac stella, de hoc vulnere, de rebus
huiusmodi innumerabilibus quæritur, de præterita re
aut futura quæritur potius, quàm de præsenti? falsum
„ igitur hoc est. Sed tamen perge. Præterita (inquit) lau
„ damus aut vituperamus, de futuris deliberamus: An
non etiam de præteritis & futuris & quærendi, &
consolandi, & mitigandi, & concitandi, & terren-
di, & alia innumerabilia agẽdi offerri potest occasio?
Nihil hîc igitur Quintilianus cõcludit, nihil soluit,
sed seipsum confundit. At euidens approbatio altera
„ superiori additur. Omnia de quibus dicẽdum est (ait)

„ aut certa sint necesse est, aut dubia. Quid tum, Quin-
tiliane? quid hac diuisione efficies? Certa vt cuique
est, animus laudat (ait) aut culpat. Atqui multa &
incerta laudamus & vituperamus, vt Cicero & Cæ-
sar in Catone: & multa certa tractamus, neque lau-
dando, neque vituperando, vt rerum artibus & libe-
ralibus, & illiberalibus comprehensarũ incomprehen-
sibilia penè negotia: Pars igitur huius partitionis est
„ falsa. Ex dubiis (ait) partim deliberatur, partim lite
„ contenditur: Ego verò hîc idem requiro, quod in mem
bro proximo, Dubiæ sint ignoranti, res infinitæ arti-
bus comprehensæ: an de iis hîc ignarus ex rhetoricis
Quintiliani præceptis deliberationem aut iudicium
informare, non doctum & peritum hominem adhibe-
re & interrogare debebit? O leuem & inertem confir-
mationem! Hac scilicet subtilitate Quintilianus ar-
gumenta sibi obiecta refutauit? hoc modo suorum
temporum authori maximo restitit? Atqui non est
hoc falsa argumenta veris argumentis refellere, sed
falsis sophismatis vera potius cõfirmare. Addit Quin
tilianus ad extremum velut solutionem quandam a-
liam. Cæteras illas species in hæc tria genera recidere:
sed insolenter admodum & artis scriptori indecenter.
Authoritate siquidem sua nobis imperare vult, quod
nulla ratione vera probare queat. Dialecticã partiẽdi
prudentiã hîc requiro: non iã dico Quintilianũ tan-
tum sine arte iudicij labi, sed sine vlla inuentionis in-
telligentia vagari: Partitiones quæstionum similis ac
longè maioris vanitatis sequũtur totis capitibus quin-

to, sexto, vndecimo, contra quas non statui maiorẽ orationem cõsumere, vt doceam & ineptas & falsas esse, sed potius vniuersa quadam tot ineptiarum confutatione vtẽdum mihi esse duxi. Dico igitur in arte rhetorica non solùm verè & propriè ex elocutionis & actionis partibus comprehensa, sed in hac Quintiliani confusione ex inuentionis, dispositionis, elocutionis, memoriæ, actionis partibus cõturbata, totam quæstionum istarum partitionẽ & diuisionem planè inutilem esse. Quamobrem verò ita sentiamus, hanc argumentationem ex Aristotelicis animaduersionibus repetamus,

Quæstionũ diuisio inutilis.

Communis rerum sibi subiectarũ doctrina nullam earum partitionem requirit,

vt in grammatica non fit diuisio rerum grammaticæ subiectarum, quia grammatica communis est ars de omnibus rebus scribendi & loquendi.

Rhetorica vel quinque partibus à Quintiliano confusa, tota communis est rerum sibi subiectarum.

Vna enim communis est ars memoriæ, pronuntiationis, elocutionis, nec earum variè partes ad varias quæstiones accommodatæ, nisi quòd nescio quid de qualitate elocutionis & genere in demõstratione, deliberatione, & iudicio præcipitur, ars tamen alia non est troporum & figurarum, sed vsus alius: de inuentione & iudicio idem suo loco probabo & demonstrabo. Imò verò Quintiliani iudicio potius acquiescam, à quo rhetorica definita est non de hac aut illa re, sed de omnibus rebus bene dicendi scientia.

Rhetorica igitur nullam quæstionum partitionem requirit.

Hîc non captiose aut obscurè argumentor, sed causam summam & primam partiendæ quæstionis interpretor. Si quæstio diuidenda esset in rhetorica, id fieret quia ad cæteras quæstiones, artes quædam certæ accommodarẽtur: omnes in vniuersum illarum partes omnibus quæstionibus non conuenirẽt. At id falsum esse cõtẽdo, primùm in tribus partibus, elocutione, memoria, actione id planum & confessum obtineo: in duabus reliquis partibus, inuentione & dispositione, idem rebus necessarijs ad dicendum suscipio. Summa verò totius confusionis in vna inuentione est: non est iterata sæpius, non pluribus modis confusa memoriæ aut pronuntiationis doctrina semel exponitur, & vno tantum loco: non est repetitis iisdem generibus & confusis conturbata elocutionis in tropis & figuris disciplina: quanuis enim multis rebus non necessariis à Quintiliano pars ista onerata est, tamen vna & vno octaui & noni libri loco proposita est: de disciplina dispositionis & argumentorum & quæstionum, & partium orationis multa Quintilianus variis locis loquitur: præceptum nullum catholicum & generale (vt eius verbis vtar) interpretatur. Summa inquam confusionis rhetoricæ in inuentione tota versatur: cuius causam possumus ex ratione & progreßione temporum percipere. Video enim artis huius doctores & magistros in cumulandis veterum decretis, & in nouis excogitandis maius studium, quàm in distinguendis & alienis

Tota cõfusio in inuẽtionis arte.

& suis inuentis iudicium adhibuisse. Primi rhetores ante Aristotelem non vt generalem quandam & de rebus omnibus ornatè dicẽdi doctrinam traderent, sed tantum vt consilijs quibusdam & monitis forensium & ciuilium causarum formulas instruerent, de ratione amplificandi ex tropis & figuris: de mouendo auditore ad iram, misericordiam, inuidiam, indignationem, & eiusmodi affectus: de generibus caussarum demonstratiuarum, deliberatiuarum, iudicialium alij alia proposuerunt. Aristoteles postea cupidè & curiosè in vnum ea omnia accumulauit, & cum primis illis artibus vniuersos dialecticæ inuentionis & communes locos cõturbauit: de pronũtiatione nõnulla etiã excogitauit: memoria postea rhetoricæ addita est. Tot igitur modis inuentionis artes inuoluit, quot modis inuolutas habemus, cùm tamen vna tãtum generalis doctrina in decem locos caussarum, effectorum, subiectorum, adiunctorum, dissentaneorum, collatorum, nominum, distributionum, finitionum, testimoniorum distincta ad omnes quæstiones, ad omnes orationis partes, ad res omnes denique facillime & apertissime declarandum accommodari posset. At dicet aliquis, illæ minores inuentionis artes in generibus causarum, in partibus orationis nouitiis & rudibus describuntur, maiores autem & cõmuniores quæ sunt in locis vniuersis, iis scilicet qui iam aliquem progressum in illis studijs fecerint. Audio, inquam, & hoc oratorio secũdo apud Ciceronẽ dici scio, sic enim illic Antonius de his inuentionis locis loquitur. Ego autem si quem planè

Aristoteles author huius confusionis.

Vnica est ars inuẽtionis, eáque cõmunis omnium rerũ.

»

„ rudem institui ad dicendum velim, iis potius assiduis
„ vno opere eandem incudem diem noctémque tunden-
„ tibus, qui omnes tenuissimas particulas atque omnia
„ minima mãsa vt aiunt nutrices, infantibus pueris in
„ os inserunt: Sin sit & doctrina liberaliter institutus,
„ & aliquo iam imbutus vsu, & satis acri ingenio esse
„ videatur, illuc eum rapiam, vbi non seclusa aliqua
„ aquula teneatur, sed vnde vniuersum flumen erum-
„ pat: & illi sedes tanquam domicilium omnium argu-
„ mentorum commonstret, & ea breuiter illustret &
„ verbis definiat. Hæc illic Antonij voce Cicero. At de Cicerone hoc in vniuersum responsum esse volo, In rhetoricis præceptis nihil ferè Ciceroniani vel iudicij vel ingenij esse, sed magistrorum & rhetorum quos audierat, vel legerat, Aristotelis maximè, artes propositas esse: Ciceronem his artibus eloquentem factum non esse, nec ex his ita perturbatis artibus eloquentiam Ciceronis, sed ex artibus nostris (quas ad eius vsum accõmodamus) mirabilem facile posse perspici. Attamen sit contra Ciceronis authoritas, an superiorem volumus in artis disputatione hominis cuiusquã authoritatem, quàm causæ veritatem esse? Pone simile aliquod in alia artis institutione documentum. Definiat grammaticus nomen & omnes adiunctas nomini circunstantias, & accidentias exponat in vniuersum: Hoc quia commune est, quia generale est, ad omnia nomina sufficere arbitramur: minutiores artes nullas requirimus, nec vlla specialis facilior explicari posset, quàm est illa generalis. At in inuentionis doctrina idem plane est. Qui

magister docet omnia quæ de re aliqua dici possunt, esse vel causas, vel effecta, vel subiecta, vel adiuncta, vel dissentanea, vel comparationes, vel nomina, vel tributiones, vel finitiones, vel testimonia, & ea diligenter explicat, sanè omnium rationum, omniúmque argumentorum doctrinam explicat: nec vlla minutius secta institutio commodior esse potest: nec tot subductionibus (quibus Quintilianus in quæstionibus, in orationis partibus vtitur) vlla melior aut facilior via docetur ad cogitandum & inueniendum, quod de re proposita dicatur. Quamobrem tantæ perturbationis excusatio probari nullo modo potest. Sed ad ipsas inuẽtionis artes, quæ docentur à Quintiliano, in generibus caussarum, in partibus orationis, in locis communibus veniamus: nihil nisi decem nostros locos in his confundi doceamus, melius nihil ostendi quo iuuentus instrui atque adiuuari possit. Confirmo enim & recipio hosce decem locos solos esse, & præter hos in tot inuentionibus Quintiliani, nihil quod ad verè doctrinæ rationem referri possit institui. Caput septimum est de demonstratione, quos igitur laudis locos à nostris diuersos Quintilianus hîc exponit? Nullos, sed de nostris quatuor confundit, neque tamen integros assumit, causas, effecta, adiuncta, testimonia. Demonstrationem enim petendam esse docet à parentibus & maioribus, quæ procreantes causæ sunt in nostris locis. Item ex inuentis, actis, dictis, factis, quæ effecta sunt: Item ex animi, & corporis, & fortunæ commodis, quæ adiuncta sunt: Item ex testi-

Inuẽtio demõstrationis & deliberationis.

moniis diuinis: præterea nullum argumenti genus attingit. Nihil igitur hîc Quintilianus ostẽdit inuẽtionis, quod sit non modò nostris locis magis vtile atque accommodatum, sed ne distinctum quidem atque separatum. De dispositione pauca admiscet, vt vel temporum gradus, vel generũ distributionem sequamur. Quorum secundum in omni disputatione, quæ via & ordine procedit, sequi debemus. In primo autem secundum adhibere & possumus, & nisi non planè intelligi volumus, debemus: quod Florus in laude populi Romani præstitit, vbi & gradus temporum sequitur, & tamen totam summã in quatuor partes diuidit. Idem Liuius in plena per decadas historia fecerat. Quare nihil hîc demonstrationis proprium Quintilianus ostendit, & coniungi optimè possunt, quæ disiuncta esse existimat. Quæ enim est ars vniuersæ inuentionis, eadem est etiam demonstrationi accommodata. In deliberationis capite nullus inuẽtionis locus à Quintiliano traditur, nulla dispositionis via declaratur, tota res meris nugis amplificatur. De iudiciali autem genere separatim Quintilianus nihil instituit, ad eius doctrinam retulit libro quarto & quinto, quæ ab aliis rhetoribus communiter præcipiuntur de partibus orationis. Item quæ de locis communibus inuentionis & generalibus. Quare concludamus primùm in generibus causarum à Quintiliano nullas inuẽtionis artes proprias describi, quamobrem quæstionum & caussarum genera ita diuidi oportuerit. Deinde hoc item concludamus, nullas inuentionis artes ad laudem, nullas ad consilium non

Deliberationis nulla inuentio.

dico demonstrari, sed attingi præter causarum speciem vnam, effecta, adiuncta, testimonia diuina: quæ omnia diligentißimè decẽ locis nostris explicantur. Nam si de laude & consilio quæratur, aperientur sanè nostris institutionibus omnes illi dialecticæ sapientiæ fontes in causarum generibus, in effectis, in subiectorum & adiunctorum, dissentaneorum tot partibus & modis, in reliquorum argumentorum tam copiosis & abundantibus locis, vt delectus rerũ ac modus penè difficilis tibi sit, tanta copia præstabitur. Qualem igitur dialecticum hîc agnoscemus, qui iudicij vllam doctrinam neget esse, qui cùm triplicem inuentionis artem statuat, primam hanc in generibus caussarum tam aridam, tam inopem proponat inuẽtionis artem? Secũda inuentionis ars sequitur in partibus orationis à Quintiliano collocata. Itaque prius de partiũ ipsarum numero disputat, & nobis ideo nõnihil de his est dicendum. Capite itaque nono officia iudicialis causæ duo Quintilianus facit, intentionem & depulsionem: partes quinque proœmium, narrationem, probationem, refutationem, perorationem: quasi non sit de facti cõiectura contentio in demonstratione & deliberatione, vt aliquid illic intendatur & depellatur: quasi nequeant etiam illæ orationis quinque partes in aliis quæstionibus distingui: & hæc omnia seu officia, seu membra sint iudicialis quæstionis propria, non omnium quæstionum communia. Sed de partibus orationis paulò plura dicenda sunt. Hac enim partitione excepta veræ & artificiosæ dispositionis scintilla in totis Quintilia-

ni rhetoricis nulla est. Methodus dialectica (vt in nostris institutionibus dictum est) hoc præcipit, vt in magna rerum disputatione (quã via & ordine persequi volumus) summa quædam primo loco ponatur, deinde tribuatur in partes & species: eásque singulas & earum particulas ad extremum ita confirmando & explicando persequamur, vt vniuersa præcedant, singularia sequantur: secundum quem methodi & dispositionis ordinem rhetores quidam viderunt, ad orandum duas esse necessarias partes (etiam si quæstio simplex esset, nec haberet partes) propositionem & confirmationẽ, duas non necessarias aliquãdo tamen assumi, vt proœmium & perorationem: cuius sententiæ Aristoteles author est. Alij quatuor fecerant, vt exordiũ, narrationẽ, confirmationem, perorationem: quam sententiã Cicero in partitionibus sequutus est. Alij quinque, vt hîc Quintilianus: alij plures, qui tamen omnes ordinis illius artificiosi rationem quandã habuerunt, vt vniuersum quoddã præcederet, cuius partes deinde tractarentur. Exordio enim summa quædam rerum poni solet, quæ plerunque sequentibus partibus diuisæ tractantur. Sed tamen hoc ita præceptis confuderunt, vt in hac ordinis descriptione locos inuẽtionis & elocutionis modos cõturbarent. Neque mirum: cùm enim dialecticæ & rhetoricæ distinctas nullas artes haberent, cùm mille tenebris iteratas & confusas easdem res haberent, quid mirũ fuit tam varias & tã dissidentes his de rebus opiniones extitisse? Quamobrem dialecticas tertij libri laudes in partiendis quæstioni-

Partitio orationis ex dialectica metho do sumpta.

bus, in explicandis demonstrationis & deliberationis inuentionibus omittamus: quantus hic dialecticus, quàm acer & diligens in exquirendis rerum causis, in vsu doctrinæ demonstrando fuerit Quintilianus, intelleximus. Videamus qualis & quantus in partium orationis inuẽtione declarãda philosophus fuerit, quæ genera argumentorum in exordio, in narratione noua descripserit: ad alias enim reliquas orationis partes locos generales & docendi, & mouendi, & delectandi reseruauit, nullos proprios explicauit. Vereor ne plerique parum considerent attentè, quod de secunda ista inuentionis arte contra Quintilianum disputo. Facit Quintilianus quinque partes eloquentiæ, inuẽtionem, dispositionem, elocutionem, memoriam, actionem. Omnia igitur (dico) eloquentiæ præcepta Quintilianus ad aliquam harum partium referat, necesse est: nihil de memoria & pronuntiatione in exordio & narratione præcipitur: perpauca de elocutione & dispositione cõfundũtur. Doctrina igitur reliqua inuẽtionis est, in qua dico non modò nihil esse, quod ad veram inuentionis artem referri possit, sed totum græcanicum, sophisticum, scholasticum, & planè puerile esse cõfirmo. Primùm caussam requiramus, quamobrẽ ad duas orationis partes, exordiũ & narrationẽ, inuentiones peculiares describãtur: tum enim verè disputabimus, cùm proprias & veras causas agemus: triplicem verò exordij causam fuisse video, vt beneuolus, attẽtus, docilis auditor efficiatur. At id exordij propriũ non est, quod attribuitur exordio propriũ, & periculosius sanè fuerit

Caussa tradendæ inuentionis in exordio nulla.

auditorẽ in media oratione, cũ res seriò agitur non esse beneuolũ, attẽtum, docilẽ, q̃ in exordio. Deinde exordiũ istarum rerum causa duntaxat esse cõparatum falsum est, & vsui contrarium: nullum enim Ciceronis exordium est in tot eius orationibus ad istas duntaxat ineptias comparatũ, sed in omnibus orationibus quæ quidem extant, exordium statim auditorẽ ipsum de caussa & apertè, & breuiter, & probabiliter instituit: non autem solùm beneuolum, & attẽtum, & docilem facit. Age verò, sit sanè aliqua beneuolentiæ, docilitatis, attentionis in exordio præcipuè habenda ratio. videamus an id melius Quintiliani confusis peculiaribus locis, quàm nostris decem communibus efficiatur. Beneuolentia ducitur à personis, aut à causis, & vtriusque adiunctis (ait Quintilianus) quasi verò rei qui accusatur, persona ipsa non sit pars causæ, & tam multa quæ sapiens iste rhetor collegit de personarum & causarum locis, personarum adiuncta non sint, ac non omnia hæc perspicuè doceãtur à nobis in adiunctorum loco, quæ hîc à Quintiliano confunduntur. Rhetorica (ita me Deus amet) breuius integra & tota tradi poterat, quàm est exordiorum tam magnifica doctrina à Quintiliano tradita: nulla inuẽtionis solida doctrina hîc est, qualis in decẽ nostris locis explicatur. sed locos narrationis videamus, & requiramus hîc itẽ caussam summã, quamobrẽ ars narrationis propria describatur. Tria dicit esse Quintilianus ad quæ proprij loci narrationis describendi sint: quia narratio debeat esse breuis, aperta, probabilis. At primùm Ari-

Caussa tradendæ inuentionis in narratione nulla.

ſtoteles meritò deriſit, & reliqua etiam duo magis in confirmatione neceſſaria ſunt, quàm in narratione. In narrando enim, ſi quid parum probabile eſt, confirmando tandem & tractando credibile efficitur. Tum verò valde ridiculum eſt, cùm tota dialectica & inuentio & diſpoſitio, totáque rhetorica & elocutio, & actio huc referatur, vt apertè & probabiliter dicamus, has virtutes omnium orationum communes, vni orationis parti veluti proprias attribuere: deinde perſpicuitatis & probabilitatis artes etiam hîc excogitare, quaſi totæ artes illæ ſuis præceptis aliud demonſtrent, atque efficiant. Sed tamen qui ſunt proprij inuẽtionis loci, quos hîc Quintilianus tradit? Attingit quidẽ & confundit ex cauſis inſtrumenta, ex adiunctis locũ & tempus, præterea nullum omnino. Quare nulla cauſſa Quintiliano fuit inuentionis hîc commiſcendæ, nec vlla eſt, ſed mathæotechnia fatua pro vera arte. In his tamen ineptiis vnum eſt ſingulare & dialectici artificij maximè proprium: quod Quintilianus præcipit, in narratione argumenta adhibenda eſſe, non autem argumentandum. Itaque dialecticos omnes irrideamus, dialecticam contemnamus, vnde didicimus nullam orationem, cuius aliqua afferatur ratio, ſine argumento eſſe: omnem autem argumenti expoſitionem, eſſe argumentationem: itaque orationem ferè eſſe nullam, quæ nihil argumentetur: quinimo nulla Ciceronis narratio eſt, vbi non & argumenta rerum, & rationes ponantur, vbi non etiam ſyllogiſmi & argumentationes adhibeantur. Ita Quintilianus commenta græca-

Inuentionis in narratione loci.

nica nobis tradit, non præcepta ex vero vsu obseruata. Cætera, quæ sunt in hoc capite tam multa, si persequar, vereor ne ipse ineptus sim. Quid verò de egreßione dicam? Quintilianus eam inter figuras, quãuis addubitans, tamen collocat, & hîc causæ partem esse negat, & tamen totum caput tertium in egreßione consumit: ne vllas apinas rhetorum tricásue omisisse videatur, tam nulla se dialectici arte instructum ostendit. Talis adhuc est quarto & quinto capitibus de propositione & partitione, cùm propositio vel quæstio sit ipsa, quæ proponitur, vel syllogismi & argumẽtationis fundamentum, & partitio sit inuentionis locus, cuius tamen doctrinam hîc nullam Quintilianus explicat, quot eius genera, quótue modi sint. Sic ista secunda inuentionis doctrina in partibus orationis videlicet explicatur, vt confundatur aliquid ex causis, adiunctis, partitione: nihil omnino ad generalem & cõmunem vsum dicendi referatur. Sed per Deum immortalem, caliginem partitionis huius in quatuor aut quinque aut etiam plures partes orationis accuratius excutiamus, quæramus causas, ἀπόδειξιν adhibeamus, videamus quænam operis arte constructi legitima partitio esse debeat. Dico enim partitionem hanc orationis in partes vel quatuor, vel quinque, vel etiam plures explodendã esse. Si quis sermonis puri (quod grammaticæ artis opus est) laudes & virtutes partiri velit, sanè redeat ad vniuersas artis causas necesse est, non ad vnam eius partẽ aliquam: neque dicat orationis duas esse partes, nomen & verbum, quia in ordine & syn-

De egreßione

De propositio & partitione

Partitio orationis inepta.

taxi partes illæ ſpectentur: nec ideo nobis grãmaticam quandam ad illas duas partes contrahat: imò verò (ſi volet omnes ſermonis laudes intueri) conſideret ſanè & etymologiam in partibus ſingulis, & ſyntaxin in earum coniunctione: proſodiam ſi proferatur, in ſyllabarum accentu & quantitate: ſi ſcribatur, orthographiam in literarum & ſyllabarum formatione. Denique operis grammatici partes ex artis grammaticæ partibus exquirat neceſſe eſt. Si quis etiam diſputationis quæ dialecticæ artis opus eſt, partes expendere cupiet, referat ſeſe ad communes dialecticæ artis partes, inuentionem & diſpoſitionem, non ad particulam eius aliquam: neque ſtatuat diſputationis tres eſſe partes, propoſitionem, aſſumptionem, complexionem: neque nobis inuentiones proprias & propoſitionis & aſſumptionis & complexionis, vel earum ordines quando præcedant, quando ſequantur, quando intermedio loco comprehendantur, neque nobis dialecticam hîc neſcio quam confuſionem comminiſcatur. Quid ita? quia propoſitio, aſſumptio, cõplexio ad diſpoſitionis artem, non ad totam dialecticam pertineant. Quomodo igitur diſputatio dialectica commodè diuidetur? equidem rectam & abſolutam diuiſionem dialectici operis fore arbitror, ſi quis ad inuentionis & diſpoſitionis (quæ partes dialecticæ artis veræ & ſolæ ſunt) partes eius referat: vt dicat diſputationem duabus ex rebus conſtare, argumentis, quod ab inuentionis arte præſtatur, item ſyllogiſmo, aliquando etiam methodo, quod dialectici ordinis diſpoſitione contine-

tur. Sic inquam, veri operis laudes & partes retexemus, si ad artis legitimas & veras partes referamus. Nec aliter ars ab opere quidquam differt, quàm à causis effectus: ars enim facultas est efficiendi: opus artis est effectus. Sic Aristoteles qui tenebras istas tã multas reperit, vel certè accumulauit, docet analysin dialectici operis ab effectione (quã genesin nominat) differre. Ponatur igitur imprimis illud,

Operis arte constructi partitio non ex parte aliqua, sed ex arte tota sumi debet.

ac deinceps assumatur,

Oratio est opus aliquod arte constructum:

nempe (vt Quintiliano placet) arte & inuẽtionis, & dispositionis, & elocutionis, & memoriæ, & actionis. Tandem concludamus,

Orationis igitur partitio, non ex vna parte aliqua, vt ex dispositione & ordine in exordium, narrationem, confirmationem, refutationem, perorationem, sed ex arte tota sumi debet in inuẽtionem, dispositionem, elocutionem, memoriam, actionem: quoniam has partes arti rhetoricæ Quintilianus attribuit.

Quamobrem tollatur ista partitio, & tãta in his præceptiunculis & exordiorum, & narrationũ confusio. Venio nunc ad tertiam Quintiliani inuentionem: de caussarum inuentione dictum est: de exordiorum & narrationum inuentione disputatũ est: superest inuentio vna communis & caussarum, & partium orationis & omnium omnino rerum: quam videtur tamen

De cõmunibus locis ex libro quĩto.

Quintilianus in tertia parte orationis, id est, confirmatione posuisse: quia putaret argumentis in exordio & narratione locum non esse, sed in confirmatione sola. Nam si secus existimauit, cur attribuit vni parti, quod commune putet omnium? Age igitur, huc veniamus. Confirmo autem tam negligentem atque inertem esse huius vniuersæ inuentionis doctrinam, quàm specialis illius antea in causis, in partibus orationis fuit. Diuidit Quintilianus, Aristotelem secutus, probationes bifariam, vt aliæ sint inartificiales, aliæ artificiales: Inartificiales vocat, quæ extra artem sunt, & quæ extrinsecus accipiuntur à litigatore, vt præiudicia, rumores, tormenta, tabulas, iusiurãdum, testes. In quo cũ Aristotele labitur Quintilianus, primùm cum sint his de rebus & artibus innumerabiles quæstiones, quæ nõ veniant in forum, in quibus tamen testimonia doctorum & sapiẽtum adhibeantur, quomodo inartificiales isto modo dicentur, quomodo inartificiale denique dici potest, quod præceptis artis sit institutum? at præcepta & artes de his argumentis traduntur. Malim verò (vt res est) inartificiales dicere has rationes, quia nihil admodum artis habeant, & ex omnibus argumẽtis minimam veræ probationis particulam habeãt, nec omnino testimoniis credatur, sed testimoniorum potius causis fides adhibeatur. Ergo falsa ratione seductus est Quintilianus. Distribuit deinde artificiales probationes admodum leuiter & ineptè, vt sint in re vel persona, item ex antecedentibus, consequentibus, pugnãtibus, item ex præterito, præsenti & futuro tem-

Inartificialis probatio cur dicatur.

pore, item ex maiori, pari, minori, item vt aliæ sint necessariæ, aliæ credibiles, aliæ non repugnantes, item vel quia aliquid est, aliud sit: vel quia aliquid non est, aliud sit: vel quia aliquid non est, nec aliud sit. Quo toto partitionum genere quid potest ineptius esse? Licet enim tales sectiones omnium rerum infinitas ex circũstantiis leuißimis fingere, sed quidnam vtilitatis est vel ad cognoscendam naturam argumentorum, vel ad vsum tractandum? Omnis igitur probatio (ait Quintilianus) artificialis constat, aut signis aut argumentis, aut exemplis: quasi & exempla & signa, argumẽta non sint. O dialecticum & acutum diuisorem! differentias signorum & argumentorum videamus, quas Quintilianus proponit, vt hãc egregiam exemplorum & signorum ab argumentis differentiam videamus.

» Signa, ait, non inueniuntur ab oratore, sed ad eum cum
» causa deferuntur. At hoc falsum est: signa enim quæ vocat, effecta vel adiuncta ferè quædam sunt sub oculos cadentia: quæ quæri & inueniri ab oratore quærẽdo in omnibus quæstionibus possunt. Verum esto, nõ inueniantur ab oratore, sed ad eum deferantur, sunt igitur inquã inartificialia: nec itaque partes artificialiũ, vt tu Quintiliane efficis: atque ita in iudicij & syllogismi vitio grauiore fueris. Aliam differentiam argumẽti & signi Quintilianus facit, & mirifico quodam dilemmate comprehendit. Signa, ait, siue indubitata sint, non sunt argumenta, quia vbi ea sunt, quæstio non est: siue dubia non sunt argumenta, quia ipsa argumẽtis egent. At signa (inquam) indubitata sunt

Signa nõ rectè ab argumentis separantur.

aut dubia: argumenta igitur (vt pro te concludam) nõ sunt. Imò verò Quintiliane, quanto clariora sunt argumenta, quãto magis quæstionẽ tollunt, quanto magis quæstionem arguunt, tanto magis argumẽta sunt. Ac tu ipse argumentum paulò pòst ita definis, vt indubitatum sit: pars igitur tui dilemmatis antecedens est falsa. Hic verò locus vnus declarare potest q̃ acri iudicio Quintilianus fuerit, qui tam aniliter argumentetur, qui tam leuiter & inconstanter concludat, tam contra dialecticam omnem rationem ratiocinetur. Hoc enim bello dilemmate concludes nullam probationem esse argumentum sic,

Sic probatio indubitata est, non est argumentum, quia ibi quæstio non est: Si dubia, non est argumentum, quia eget argumentis:

Atqui probatio est indubitata aut dubia: Nulla igitur probatio est argumentum.

Hæc dialectica est Quintiliani. Sed argumenti definitionem videamus, forsitan hæc manifestiorem differentiam præbebit. Argumentum (ait Quintilianus) est ratio probationem præstans, qua colligitur aliud per aliud, & quæ quod est dubium, per id quod dubium non est confirmat. Atqui hæc argumenti definitio & signo & exemplo conuenit, totáque ista partitio probationis artificialis in signum, exemplũ, argumentum, (vbi duæ species cum suo genere tãquam ab eo diuersa genera ponuntur) & falsa & fatua planè est: qualis ferè tota probationum doctrina quinto libro à Quintiliano descripta. In generali autem argumentorum do-

ctrina (quæ tota locis decem nostris traditur caußis, effectis, subiectis, adiunctis, dissentaneis, comparatis, nominibus, tributione, finitione, testimoniis) cõfundit & miscet Quintilianus locos velut generales, illis tamen generalibus non comprehensos solùm, sed partibus distinctos, confundit inquam à persona, vt sunt genus, natio, patria, sexus, ætas, educatio, habitus, fortuna, cõditio, natura, animi virtus, studia ante acta dictáque & nomen. Hos enim locos tã multos institutiones nostræ comprehendunt, & distingunt duobus effectorum & adiunctorum locis. Maior deinde inertia est Quintiliani de effectis. Hæc enim in locis personarum nominatim erant proposita, & hîc iterum velut ab illis diuersa repetuntur. Item de tempore, loco, casu, quæ ipsa adiunctorum sunt, & tamen iterum postea ponuntur adiuncta, velut ab his dißidentia. Item de facultatibus & instrumẽtis & modis tanquam hæc causæ vel adiuncta non sint. Item de finitione, genere, specie, proprio differente, quasi proprium quidquam sit ab adiũctis diuersum, aut differentia non sit dissimilitudo: de qua tamen Quintilianus postea. Item de diuisione tãquam genus & species, de quibus tamen paulò antè, quidquam sit à diuisionis loco separatum. Item de remotione, vbi Quintilianus valde pueriliter hallucinatur, qui putat ipsam partium remotionem à diuisione genus argumenti diuersum esse. Item de initio, incremento, summa, quæ tria nullum vniuersum argumenti genus ostendunt, sed cũ alius omnibus cõmiscentur. Item de similibus, dißimilibus, contrariis, pugnã-

Argumẽtorũ confusio.

tibus, adiunctis, relatis: vbi adiuncta relatis Quitilianus valde inscienter subiicit. Item de causis & euentis, quæ tamen antea nominatim posita sunt. Item de coniugatis, quæ Quintilianus irridet, quia, inquit, non eget probatione, quod compascuum est, compascere licere. Hoc dialecticum Quintiliani est iudicium ei simile, quo signa antea ab argumentis distinguebantur: quod animal rationale est, hominẽ esse, probatione non eget. Ergo definitio tuo isto iudicio non est argumentum Quintiliane: quo quid à dialectica alienius? quid illius philosophiæ inanius? Item de maioribus, minoribus. Tandem verò locos tam multos, & tam variè confusos in vnam summam confusionis contrahit: vt sint omnes à personis, causis, locis, tempore, facultatibus, modo, finitione, genere, specie, differentibus, propriis, remotione, diuisione, initio, incrementis, summa, similibus, dissimilibus, pugnantibus, consequentibus, efficientibus, effectis, euentis, coniugatis, comparatione. Addit his fictionem κατ' ὑπόθεσιν vocat, quæ ex omnibus argumentis peti possit, quia totidem species fictæ sunt, quod verè. Hic Quintilianus negligens dici nõ potest, qui tam multa vndique conquirat: at certè dialecticæ valde ignarus, & syllogismi expers videri potest, qui nõ videat hanc ὑπόθεσιν, propositionẽ esse syllogismi connexi, cui nisi assumptio aut expressa aut intellecta coniungatur, argui inde & probari & concludi nil possit: qui (inquam) non intelligat aliud inuentionem esse, quæ argumenta suppeditet: aliud dispositionẽ, quæ argumẽta collocet. At ὑπόθεσις illa pars est syllogismi

connexi: quæ argumentum disponit cum quæstione, & quæ omne genus argumenti capere potest, quod syllogismus potest. Syllogismus tamen non est argumẽtum, neque sane propositio syllogismi argumentum est. Atque hæc commenta cùm tam inscitè & confusè Quintilianus generalibus & vniuersis locis commisceat, attamen affirmat multo etiam plures inuentionis locos tradi posse: in quo fallitur: extra enim decem locos, causas, effecta, subiecta, adiuncta, dissentanea, comparata, nomina, tributiones, finitiones, testimonia, argumenti genus nullum est. Omnia hîc comprehensa & eorum generibus ac partibus clarissimè in nostris institutionibus sunt distincta. De exemplis confusio similis est. Omnia (ait Quintilianus) necesse aut similia, aut dissimilia, aut cõtraria esse: paulò pòst tamen seipsum scilicet condẽnans, etiam maiora & minora & authoritates adiungit: & quæ cõtraria exempla putat esse, vt Marcellus ornamenta hostibus Syracusanis restituit: Verres eadem sociis abstulit. hæc dissimilia sunt, non contraria. De vsu argumentorum pleraque dicit partim falsa, partim vera. Admiscet etiam quædam de dispositione, quæ dispositionis tamen artificiosæ cuiusmodi est, in syllogismo & methodo nihil habent. Iubet autem Quintilianus ne à potentissimis, ad leuissima decrescat oratio: & tamen postea libri septimi capite primo dicet contrà, vbi docebit reo firmissimũ quodque primum refellẽdum, & ad infirmissima deinceps veniendũ. In capite de refutatione similes nugæ sunt, sine vllo tamen inuentionis præcepto. Ad extremum multa

Exemplorũ confusio.

de enthymemate & epicheremate colligit Quintilianus, quibus probat se eundẽ esse, quẽ tot antea locis probauit, in dialectica nẽpe valde plumbeum: & quæ de syllogismo dicit, magis ea se vel audita, vel ex aliquo authore lecta describere. Aristotelẽ sui erroris authorẽ Quintilianus hic habet. Dialecticos ab oratoribus, non verò rerũ vsu, sed captiosis Aristotelis commentis distinguit: vt illi syllogismis vtantur, hi fusa liberius oratione. Non intelligit hic homo vt grammaticæ, sic dialecticæ ex omnibus inuẽtionis & dispositionis partibus vsum in omni oratione cõmunem esse: dialogos, sermones, contentiones, poemata, orationes denique (cuiuscunque generis sint) omnes magis dialecticas, quàm oratorias esse. Nulla ferè est oratio sine ratione & argumento, sine rationis & argumenti collocatione, quod dialecticæ est. At Quintilianus Aristotelis somnia secutus (qui dialecticos scholasticis altercationibus, rhetoras forensibus & ciuilibus contentionibus fatuè distinxit) putat syllogismo oratores, quàm dialecticos rarius vti. Quasi verò non sit similis & dialecticæ & rhetoricæ ratio in dialogis Platonis, & in forẽsibus Ciceronis actionibus, non tã frequentes animaduertantur syllogismi, q̃ vel in Aristotelis spinosissimis sophismatis. Si Quintilianus distinctas inuẽtionis & dispositionis artes cognouisset, & ad earũ normam Ciceronis orationes expẽdisset, reperisset in Ciceronis orationibus syllogismos frequentiores, q̃ possent in vllis philosophorũ scriptis notari. Hic Aristotelis error Quintilianum fefellit, qui simpliciter Aristotelis illud commentum

Aristotelis sophisma de differentia oratoris & dialectici.

sequutus est, nunquam attendit, an hoc verè diceretur. Nam si obseruasset, errorem illorũ manifestißimè deprehendisset, cùm videret dialecticam tam esse in poetarum & oratorum, quàm in philosophorum libris vsurpatam & tractatam. Atque hæc de argumentorum inuentione tertio, quarto, quinto libris. Totus sextus liber qui sequitur, in mouendi & delectandi artibus consumitur: vbi nihil dialecticæ, nihil rhetoricæ proprium est. Generales vt sunt, ita generaliter exponantur rhetorica in elocutione & actione, dialectica in inuentione & dispositione: multi ex his vniuersis rerum fontibus riuuli oriuntur, qui tamen non sunt harum artium præceptis permiscẽdi. Artes inuentionis tres docentur à Cicerone & Quintiliano: ad docendum loci describuntur in generibus caussarum, in partibus orationis, & tandem communes omnium quæstionum. Secundo ad mouendum quædam etiam præcepta ponuntur: postremò ad ridendum. At in inuentione loci ad docendũ soli sunt explicãdi, motus & delectatio proprias artes nullas habent: petuntur autem communiter ex locis illis inuentionis: item ex elocutione & actione: maximè verò ex morali disciplina, vbi agnoscas quid virtus, quid vitium, quibus rebus boni viri gaudeant, quibus improbi exultent, quibus vtrique item offendantur: quod Cicero sæpe testatur, qui in oratoriis affirmat ex omnibus philosophiæ partibus illam partem esse idcirco oratori maximè necessariam: & Aristoteles, qui tantam dialecticæ & rhetoricæ confusionem peperit, affirmat rhetoricam ratione mo-

De libro sexto vbi de mouẽd. & delectandi artibus.

tuum & affectionũ partem quandã esse moralis philosophiæ: & ad illam philosophiam moralem, mouendi totam artem refert: & Quintilianus ipse ideo philosophiam moralem primo libro rhetoricæ partem dixit esse. In extremo sexto libro de differentia consilij & iudicij disserit Quintilianus, & iudicium putat, vt dixi antea, non magis arte tradi posse, quàm gustũ, quàm odorem. Hîc in cumulando diligentiam Quintiliani non requiro, in iudicando prudentiam desidero. Dixit antea duas esse dialecticæ partes, inuentionem & iudicium: nunc quasi dialectica ars nulla sit, & quod de iudicio in syllogismis præcipiat, inartificiosum sit, ait iudicium arte tradi non posse. Atqui tamen hæc iudicij doctrina tanta est, tam mirabilis, tam diuina, vt qui vel cæteras artes norit, hanc ex præceptis vel obseruatione aliqua non norit, nihil verè percepisse, nihil firmè cognouisse videatur. Atque hæc de inuentione à Quintiliano confusa sunt. Dispositionis doctrinã libro proximo septimo videtur Quintilianus explicare velle: quod si fecisset, syllogismi modos omnes, & methodi vias & doctrinæ & prudentiæ docuisset, quemadmodũ in nostris institutionibus est explicatum. At in principio Quintilianus indicat nullam dispositionis artem in omnes materias certam tradi posse, in quo vehementer errat. Nam syllogismi & methodi artificiosæ certa doctrina est, & omnium rerum, quæ via & ratione tractandæ sunt, communis. Quare quid plura iam contra hunc hominem de arte dispositionis dicenda sunt, qui eam non solùm ignorat,

De dispositione ex libro septimo.

ſed arbitratur nullā eſſe poſſe. Quæ verò Quintilianus nomine diſpoſitionis tā multa toto hoc libro ſcribit, ea ſunt de formulis cauſſarū ciuilium, & de cōſuetudine quadam litigandi in Romano foro, quæ fuit illo ſeculo. Attamen omnia eiuſmodi, vt nullum omnino ſolidum ac perpetuū, vel ad illas ipſas Romani fori formulas præceptum præbeant. Reuocat autem huc tota illa ſophiſmata tertij libri de generibus ſtatuum & quæſtionum coniectura, finitione, qualitate, actione, ſcripto & voluntate, contrariis legibus, ſyllogiſmo, amphibologia, in quibus ſingulis nullum diſpoſitionis præceptum generale eſt. Confunduntur etiam quædam inuentionis præcepta in coniectura & finitione, de cauſſis, factis, conſiliis, vt veriſsimè cōfirmari poſsit, quinque libris tertio, quarto, quinto, ſexto, ſeptimo, à Quintiliano non informari inuentionis & diſpoſitionis artem: ſed vtriuſque partis doctrinam multis rebus falſis, alienis, inutilibus obrui. Quamobrem iam licet iſtam & inuentionis & diſpoſitionis contentionem totam concludamus, & noſtras inſtitutiones cum Quintiliani inſtitutionibus, vſum noſtrū cum vſu Quintiliani cōiungamus, vt intelligi poſsit vberius ad extremum quid hac de re ſtatui poſsit. Nos artes inuētionis & diſpoſitionis dialecticæ arti, cuius partes propriæ ſunt, verè attribuimus. Quintilianus dialecticæ doctrinam rhetoricæ falſo ſubiicit. Nos quæſtionem definimus, & de partibus admonemus, quod ad vſum inuentionis & diſpoſitionis attineat. Quintilianus quæſtionem non definit, nullum quæſtionis vſum oſtendit, ſed

Epilogus inuentionis & diſpoſitionis, vbi comparatur ars Quintiliani de inuentione & diſpoſitione cū dialecti inſtitutionibus inuentionis & diſpoſitionis.

omnium generum sophismatis hanc doctrinæ partem confundit. Nos inuentionem definimus, genera partimur, generum species singulas & partes exponimus, & insignibus exemplis illustramus. Quintilianus nec inuentionem, nec inuentionis genera, nec generum species, nec omnino partes vllo veræ definitionis aut partitionis lumine exornauit, sed pro vna illustri & cõmuni rerũ omniũ inuentione, tres obscurißimas & turbatißimas artes aggregauit, primam in generibus causarum, secundam in partibus orationis, tertiam in generalibus & omniũ tum caussarum, tum partiũ orationis locis communibus. Nos syllogismi & methodi, id est, vniuersæ dispositionis laudes omnes persecuti sumus: Quintilianus nullum omnino certum & perpetuum præceptum hîc intellexit: Nos clarißimo ordine & ad intelligendum aptißimo, generales præceptiones primò, speciales deinde collocauimus: Quintilianus autem qua via, quo ordine, qua dialecticæ methodi ratione totam confusionem tot artium composuit? Comparat orationem via & ratione distinctam Plato perfectæ animalis excellentis figuræ, cuius caput sursum erigatur, pedes deorsum deprimantur, pectus, venter, ac reliqui artus intermediis locis ordine collocentur: ita orationem dialecticè collocatam iudicat summo ac primo loco res vniuersas, infimo singulares, intermedio tum vniuersis inferiores, tum singularibus superiores amplecti: vt à capite disputatio per partes ad extremas particulas deducatur. Verumenimuero quodnam esse animalis monstrum putaremus, cuius pedes essent

ſurſum erecti, deorſum caput affligeretur, ipſumq; caput vnà cum ventre in pedis vnius, tanquam vertice aliquo abſorberetur? Talis ſanè triplicis apud Quintilianum inuentionis eſt collocatio: pedes enim ſunt ſingulares cauſſarum artes, quæ primo & ſummo loco ſunt: venter partes orationis, quæ ſunt magis communes, quàm artes demonſtratiuæ: & deliberatiuæ cauſſæ, minus communes, quàm loci generales: caput communes omnium quæſtionum loci: quæ tamen & orationis, & communium locorum doctrina in vno iudicialis cauſſæ genere, id eſt, in vno pede confunditur. Itaque tota artis explicatione non modò in rebus ipſis permulta abſurdè peccauit Quintilianus, ſed in ordine & diſpoſitione videmus, quàm confuſus ſit & perturbatus. Quid verò futurum putamus, ſi tam inertis, támque inanis confuſionis vſum requiramus? Exercenda eſt & inuentionis & diſpoſitionis doctrina, ſicuti quauis alia diſciplina, modis duobus, primò, vt per eam in alienis exemplis cognoſcamus, & conſilium ex argumento, & iudicium ex concluſionis modo, & totam omnino prudentiã ex collocationis & ordinis methodo: ſecundo vt per eandem artem ſimilia ipſi & dicendo & ſcribendo exempla confingamus. Enimuero ponatur aliqua Ciceronis oratio, inuentio & diſpoſitio ex artibus Quintiliani diſquiratur, quid primũ ad hanc exercitationis rationẽ tota illa tam accurata de ſtatibus doctrina, an rationalis quæſtio ſit, an legalis, vtrum quæratur an eſt, quid eſt, quale eſt, an ſtatus ſit ambigui, an ſyllogiſmi, an legũ contrariarum,

Cõparatio exercitationis & vſus.

an scripti & sententiæ, an trãslationis: quid inquam, ista mihi proderunt ad rationem inuentionis? nihil. ad rationem dispositionis? nihil. Iam verò quas artes Quintiliani ad explicandum quid hîc Cicero voluerit, quo genere argumenti, quàm solido vsus sit, quas, inquam, inuentionis artes hîc adhibebo? An genera caussarum repetam, & partium orationis tot institutiones excutiam, & locorum cõmunium rationem totam huc referam? Curnam, Deus bone, confusio tanta, & quamobrem miscenda est, cùm res tota clarissima & facillima sit? Nosse vis, & expendere consilium in Ciceronis oratione tibi proposita? refer ad partem quæstionis vtranuis eius argumẽta, considera quid eius sint, caussáne an effectus, subiectum an adiũctum, dissentaneum, comparatio, nominis ratio, tributio, definitio, testimonium, tum hoc assequere compendiaria & facili via, quod Quintiliani tam molestis salebris assequi vix, ac ne vix quidem possis. Postremò faciamus idem in Quintiliani de dispositione artibus periculum, quomodo iudicium Ciceronis, quomodo methodum cognoscam. At tantùm abest vt Quintilianus vllam iudicij doctrinam doceat, vt affirmet omnino nullam tradi posse: tam cæcus in omni dispositionis arte, vt profiteatur in omnes materias cõmunem esse nullam posse. Aristotelis & Quintiliani error fatuitate par ferè est: ille negat in Topicis communem inuentionem tradi posse, quã tamen tot tenebris inuoluit, quàm multas in eius libris demonstrauimus. Hic verò iudicium dialecticæ partem esse dicit, & tamẽ idem nescio

quo modo ſomnians ait iudicij doctrinam nullam eſſe, nullum artificioſæ diſpoſitionis communem eſſe doctrinam. Quare quid iam requiram hoc loco, quomodo poſſit ſecunda exercitationis ratio ex hiſce Quintiliani artibus tractari? Non poteſt ex his conſilium, non poteſt iudicium, non poteſt methodus in propoſitis authoribus intelligi: quomodo igitur his artibus eaſdẽ virtutes aſſequi ſcribendo & dicendo poterimus? Quamobrem cùm ſit ars inuentionis & diſpoſitionis à Quintiliano tam negligenter, tam inſipienter expoſita, cùm nihil perfectè vel definitum, vel partitum, vel æſtimatum, vel collocatum ſit, cùm verus earum partium vſus illinc elici nullo modo poſsit, ſtatuite dialectici, quos initio contentionis meæ iudices appellaui, ſtatuite, inquam, qualem dialecticum rhetorem hunc à vobis deceat æſtimari.

De dialectica & inuentionis, & diſpoſitionis doctrina cõtra Quintilianum adhuc dialecticè quidem egimus. Sequitur de elocutione inſtitutio Quintiliani tam prolixa ferè, támque confuſa, quàm quinque proximis libris fuit de inuentione atque diſpoſitione. Summas rerum, vt adhuc feci, duntaxat attingam, inſtitutum perſequar: dialecticã prudentiam hîc item ab hoc magiſtro requiram, quomodo definierit, quomodo diuiſerit, quomodo declarauerit, quod doctoris conſilium, quæ ratio, quod iudicium, quæ ſapientia fuerit, qualem denique ſe dialecticum præbuerit. Elocutio rhetorica præceptis his definienda & explicanda fuerat, quibus grammaticum nihil, nihil dialecticum admi-

De elocutione ex octauo libro.

ſceretur: vt cùm puritas orationis grammaticis decretis, rationis ſubtilitas & prudẽtia dialecticis informata eſſet, tum quid ad ornandum ex tropis & figuris, ex vocis & actionis gratia & dignitate reliquũ pertineret, hîc definitionibus, partitionibus, & exemplis exponeretur. At Quintilianus ſui ſimilis eſt, miſcet & cõturbat in rhetoricæ elocutionis præceptis & grãmatica & dialectica. Elocutio (ait primo capite octaui libri) ſpectatur in ſingulis & cõiunctis verbis: quid tum? In ſingulis intuendũ vt ſint latina, perſpicua, ornata, apta. In coniunctis, vt emendata, vt collocata, vt figurata. Hæc partitio Quintiliani eſt, in qua conſideremus quænam dialectica teneatur. Primùm enim Latini & emendati ſermonis elegantia rhetoricæ nihil eſt, grammaticæ tota eſt: vt enim nullus barbariſmus, nullus ſolœciſmus inſit, grammaticæ virtus eſt. Itaque hæc tam multa in hac partitione redundant, & dialecticam nullã hîc eſſe demonſtrant: quia cùm de rhetorica elocutione diſputes, non erit profectò verũ grammaticas res admiſcere. Quod Quintilianus neſcio quo modo confitetur cùm ait, Sed ea quæ de ratione latinè atque emẽdatè loquẽdi fuerint dicẽda, in libro primo, cùm de grammatica loqueremur, exequuti ſumus. Verùm hîc Quintilianus idem eſt qui adhuc fuit, ſine dialectico conſilio, ſine ſyllogiſmo, ſine iudicio. Verùm (ait) illic tantùm ne vitioſa eſſent præcepimus, hîc nõ alienum eſt admonere, vt ſint quamminimè peregrina & externa. At Quintiliane, non eadem ſolùm libro primo tradidiſti, cùm de grammatica diceres, quæ hoc

Elocutionis partitio vitioſa.

libro repetis, sed etiam longè quàm hîc plura: & te valde tamen in tanta cumulandi diligentia demonstras obliuiosum & immemorẽ, atque, quod arguo, dialecticæ expertem. De perspicuitate rerũ & decoro idem sentiendum est: Rhetoricæ enim (quæ in verborum elocutione & actione tota posita est) ferè nihil habent. Secundo capite perspicuitas informatur ex verbis propriis: proprietas autem admodum ridiculè diuiditur in modos octo. Omnis significatio verbi propria est, aut mutata aliquo genere tropi per metonymiam, ironiam, metaphoram, synecdochen, vt postea declarabo. Itaque si verè statuere volumus, vnica proprietatis in verbo est ratio, vnicus est modus. At Quintilianus ait primo dici propria, quorum prima hæc intelligẽtia & significatio fuerit: quod est verũ. Secundo modo dicitur proprium, ait, inter plura quæ sint eiusdẽ nominis, id vnde cætera ducta sint. At Quintiliane, hic secũdus modus à primo diuersus non est. Omnis dictio propriè aliquid significat: significatio tamen hæc sæpe ad aliam rem significandum aliquo tropo mutatur. Id verò vnde cætera ducta sunt proprium solum est, cætera ξοπτικῶς vsurpata. Ergo dialectica luce adhibita vides secundum istum proprietatis modum à primo nõ differre. Tertius est modus, cùm res cõmunis pluribus in vno aliquo habet nomen eximium. At Quintiliane, synecdoche est hic modus proprietatis: quoties enim ex genere species significatur, synecdoche postea à te definitur. Cur igitur tropus isto loco turbatur, ac non potius in troporum doctrina docetur modificatas significatio-

Perspicuitatis vitiosa partitio.

nes, si id opus esset, etiam proprias esse? Quartus modus est, cùm quod commune est aliis nomen, alicui rei peculiariter tribuitur. Hic error non similis est proximo, sed idem cum eo plané. Quintus modus est, quo nihil est significantius. At id aliquando proprium nomen est, vt à primo modo nihil differat, aliquando modificatum, & hic nihil docet. Sextus modus proprietatis in his quæ bene translata sunt. At cur hîc de metaphora potius ista conturbantur, quàm proprio & legitimo troporum loco docẽtur? Septimus modus est in his quæ sunt in quoque præcipua: at id interim proprium verbum est, vt hic modus cum primo consentiat, interim modificatus est. Octauus modus, cùm verba plus significant quàm eloquũtur: emphasin tamen mauult Quintilianus appellare. Atq; hæc genera proprietatis facta sunt octo, quæ in rhetorica bene tradita nulla omnino essent. Grammatica propriorũ verborũ rationem habet, rhetorica modificatorum: sic à modificatis propria distinguẽda sunt. Quintilianus autem ex duobus significationum generibus, propriarum & modificatarum, fecit genera propriorum octo, tam subtiliter & acutè, vt secũdum genus nihil differret à primo, octauũ à Quintiliano ipso reiiciatur, tertium, quartum, sextum sint tropi synecdoche & metaphora, quintum & septimũ primo genere, aut tropo aliquo contineantur. Et hîc curam & solicitudinem in cõgerendis rebus video, dialecticum iudicium, dialecticum syllogismũ nullum video. Prætermitto permulta falsa, permulta inepta, quia sit infinitum singula persequi. Opponit Quintilianus

obscuritatem perspicuitati, & eius modos alios in singulis, alios in coniũctis verbis exponit. At Quintiliane, quàm obliuiosus es, quàm valde es immemor tui? Partitus es elocutionem ex verbis singulis & cõiũctis: in singulis perspicua collocasti. At nunc etiam in coniunctis eorum doctrinam permisces, & te ipsum valde in definiendis artibus & distinguendis perturbatum esse doces. Similis est inconstantia & cõfusio tertio capite de ornatu, vbi proœmium est sua longitudine ineptissimum. Ornatus doctrina tandem sequitur in singulis & coniunctis verbis, cùm tamen in prima partitione in singulis tantùm verbis ornatus à Quintiliano positus sit: & istam constantiam dialecticam primùm deprehẽdo: Ornatus, ait antea, totus in singulis verbis. Deinde, ornatus duo genera, alterum in singulis, alterũ in coniunctis. Singula trifariam partitur vt propria sint, aut ficta, aut translata. At Quintilianus antea subiecit verborum proprietati translationem, nunc eãdem tanquam distinctam à proprietate separat: de nouitate verborum repetit quædam libro primo confusa: de trãslatis hic nullum verbum facit. Ita Quintiliani doctrina de verborum singulorum ornatu concluditur vt magnifica nobis promittantur, promissa ipsa nulla fiant. Coniũctorum verborum ornatus pari, vel multo etiam maiore confusione turbatur. Diuiditur primùm bifariam, quam concipiamus elocutionem, quam efferamus. Illic considerãdum esse dicit quid augere, quid minuere velimus, vbi tota dialectica rhetoricáque cõprehenditur, ne nihil agere doctorem tantum iudice-

Ornatus vitiosa doctrina.

mus: hic verò quibus tropis, figuris, sententiis, numeris vtamur: vbi tota dialectica rursum in sententiis, & elocutio ex tropis & figuris & numeris miscetur: tam egregiè Quintilianus partitur hāc doctrinā, vt quicquid illi venerit in buccā, id effuderit, dialectici salis ne micam quidem adhibuerit. Atque quod multò absurdius est, neutram propositarum partium exequitur, sed vitiorum nescio quas sordes à grāmaticis vndique corradit, & in cultu (quem à duabus illis partibus diuersum facit) reliquam tanti capitis loquacitatem cōsumit, vbi statuit illustrationem: quam tamē figuram nono libro facit, nec intelligit hanc illustrationem separati præcepti nihil habere, sed ex omnibus & inuentionis & dispositionis & elocutionis partibus fieri posse: & omnia illustrationis exempla, quæ hîc adhibet Quintilianus, sunt ex effectis, adiūctis, comparatis, in quibus tam cæcus est, tā à dialecticis inops & destitutus, vt artem exemplorum, quibus vtitur, nō intelligat, quinetiam aliud genus pro alio proponat, vt pro Archia, vbi collatio minorū est, similitudinem esse putat, hoc loco, Saxa & solitudines voci respondēt, bestiæ sæpe immanes cantu flectuntur atque consistunt, nos instituti rebus optimis non poetarum voce moueamur? Subiicit illustrationi βραχυλογίαν, cuius hoc exemplum quod ponit (Mithridates corpore ingenti perinde armatus) nō intelligit similitudinem esse, quam tamen illustrationi proximo modo subiecerat: Subiecit illustrationi rursus Emphasin, cuius partē admodū ridiculè figurā, reticētiā, facit. Postremò quicquid potest huc vn-

dig adgregat ἀφελείαν, δείνωσιν, φανταστίαν, ἐξεργασίαν, ἐπεξεργασίαν, ἐνεργείαν, nõ modo sine arte, sed omnino sine vlla artis specie: cuiusmodi capita duo proxima sunt de amplificatione & de sententiarũ generibus, quorũ capitũ artẽ nullã omnino Quintilianus intelligit. Præcipit hoc libro de elocutione, At ista genera amplificationũ & sentẽtiarũ non elocutione verborũ, sed rerũ inuẽtione fiunt: & amplificationũ genera, quæ diuersa Quintilianus putat, eadẽ ferè sunt. Primũ enim & secundũ ex vno loco cõparationis oriũtur. Incrementũ siquidẽ, cùm ex minoribus ascẽdis ad maiora, comparatio est, cuius tamẽ artem Quintilianus ab incrementi arte diuersam putat. Ratiocinatio & congeries artis certæ nihil habent: possunt ex omnibus argumẽtorum generibus accipi. Sentẽtiarum autem genera, quæ Quintilianus recẽset, sunt ex cõtrariis, comparatis, aut figura aliqua, at sine arte vlla, imò verò contra omnẽ artis rationẽ confusa. O philosophi, ô dialectici, & veri rerum iudices, considerate quæ sunt, & cuiusmodi quæ dico, quæ propono: pudet enim me, pudet tam putidam, tam insulsam loquacitatem, qualis est, talem dicere ac demõstrare, admonere satis esse existimo. Boni iudicis est ex legũ & iuris scientia nosse quibus meritis vnaquæque res digna sit: factũ propono, de qualitate vos statuite. Atque de tribus totius octaui libri partibus duæ integræ, quinque capitibus adhuc cõturbatæ sunt ex grammaticis, dialecticis, & rhetoricis quibusdam, ita tamen vt vel grammaticæ, vel rhetoricæ, vel dialecticæ artis forma nulla sit. De rhetorica elocutione

Amplificationum & sentẽtiarum vitiosa doctrina.

pollicetur Quintilianus præcepta se traditurum, at de troporũ & figurarum (quibus tota ars elocutionis bene descripta continetur) arte nihil est institutum. Reliquo libro octauo troporum doctrinam nobis Quintilianus pollicetur. Nanque tropum definit initio & partitur & dialecticæ methodi viam scilicet aliquando sequitur. Verùm si rectè iudicare volumus, nihil accuratè definit, nihil acutè partitur, nihil via & ordine disponit. Tropus (ait) est mutatio verbi vel sermonis à propria significatione in aliam cum virtute. At tropus in singulis verbis totus est, in sermone coniunctum nihil habet. Nam cũ formæ orationis mutãtur, figuræ sunt, non tropi: & quas sermonis mutationes Quintilianus putat tropos esse, docebo suo loco tropos non esse. Quare falsa est primùm ista definitio. Quintilianus troporum genera duodecim facit, metaphoram, synecdochen, metonymiam, antonomasiã, onomatopœiam, catachresin, metalepsin, epitheton, allegoriam, periphrasim, hyperbaton, hyperbolem. At quatuor tantum sunt, metonymia, ironia, metaphora, synecdoche, vt planum faciam cum de generibus singulis dixero: falsa item est Quintiliani hac in parte doctrina, tam excellentem in definiendo, in partiẽdo dialecticũ videmus. Disserit primo loco Quintilianus de metaphora, quã non definit: partitur autẽ sic, vt præstiterit non partiri. Itaque inanes eius & ridiculas partitiones omittamus, quod aut necessitatis, aut significationis, aut decoris gratia adhibetur: quasi nõ hæc inter se misceantur, & aliqua sit metaphora necessitatis causa adhibita, non etiam signifi-

Tropi definitio vitiosa.

Tropi vitiosa partitio.

Metaphora.

cationis. Addit tamẽ tribus generibus quartũ modum ad vitandã obscuritatem, ait: quasi & hic modus decoris gratia non fiat. Omittamus & aliam inertiæ similis partitionem, quòd metaphora sit ab animali ad animal, ab inanimo ad inanimum, ab animalibus ad inanima, ab inanimis ad animalia: liceat enim partitiones innumerabiles tales confingere, quæ artis vtilitatẽ nullam prorsus habeant: & cùm metaphora similitudinis pars sit (metaphora enim tropus est ex simili simile significans) cùm inquam similitudinis pars sit, quæ nõ ex hoc vel illo rerũ genere, sed ex tota rerũ natura sumi possit, tam vanũ & inutile est inertes species hîc velle consectari, quàm si quis docere conaretur vnde genus, vnde species, vnde cõtraria, vnde denique primi illi dialectici rerũ fontes orirentur. Hoc primum tropi genus retineo: tot nugas & ineptias, quot hoc loco Quintilianus collegit, reiicio. Secũdum genus Quintilianus Synecdochen facit, & eius multa genera recenset, cùm numerus pro numero, totum pro parte, genus pro specie, antecedentia pro consequentibus, & contrà sumuntur: quorum vltimum elocutionis nihil est, vt hîc, Synecdoche.

Aspice, aratra boues referunt suspensa iuuenci:

argumentum est ex adiunctis, vnde meridies & nox appropinquare intelligitur, & Quintilianus hæc intelligit, & sciens turbat: reliqua non intelligit Quintilianus vno diuisionis genere contineri, vt rectè Synecdoche definiatur, cum ex parte totum contráue significatur. Nam & species pars est generis, & genus totum speciei, & pluralis numerus singulari cõparatus

totũ aliquid est parti collatum. Tertium tropi genus est Quintiliano, metonymia, & definitur nominis pro nomine positio, sed admodũ vitiosè. In omni enim tropo est nominis alieni pro proprio nomine positio: cuius vis est (ait Quintilianus) pro eo quod dicitur, causam propter quã dicitur ponere: at id perpetuũ nõ est sæpe enim tropus hic etiam ex effectis causas, non solùm ex causis effecta, item ex subiectis adiuncta, contráue significat. Atque vt intelligi possit quàm sit ista iners & confusa troporũ ars, exempla Quintiliani ad hos quatuor locos referam. Ex causis effecta significantur, cùm dicitur, Ceres & Bacchus pro frugibus & vino: nam dij illi earum rerum inuentores & authores finguntur. Cõtrà ex effectis causæ significantur, vt Pallida mors, tristis senectus: ideo enim & pallida & tristis, non quia sit, sed quia faciat: ex subiectis adiuncta, vt bene moratas vrbes, pro ciuibus: & homines deuorari, cum eorum patrimonium consumitur: denique quoties continens pro contẽto, possessor pro re possessa, dominos pro subditis dicimus. Contrà verò ex adiunctis subiecta, vt sacrilegiũ pro sacrilego, audaciam pro audaci. Quare omnis huius tropi cõfusio tollitur vna ista vera definitione, Metonymia, est tropus ex causis effecta, subiectis adiuncta contráue significans. Quærit autẽ Quintilianus similitudinẽ quãdam inter synecdochen & metonymiam, sed fallitur. Itaque in hoc genere veram doctrinam retineo, & artificiosè compono, tenebras tollo. Quartum genus tropi Quintilianus antonomasiam facit & definit, quæ aliquid pro nomine ponit, definitione, tropi

Metonymia

Antonomasia.

proximi definitioni simillima. Cõuenit enim tropis omnibus pro nomine proprio aliquid ponere. Hæ Quintiliani definitiones sunt eiusmodi, vt nihil definiant: sed fallitur etiam grauius Quintilianus. Antonomasia enim (quam fingit) aut synecdoche est, vt Pelides, Tytides pro Achille & Diomede. Generalia enim nomina sunt pro specialibus, aut argumẽtum quoddam, vt definitio Iouis in hoc exemplo,

-diuûm pater atque hominum rex.

Item definitio Scipionis in hoc exemplo, Euersor Carthaginis & Numantiæ. Itaque tollatur è tropis hoc genus, quod à cæteris nihil habet diuersum, aut tropus omnino non est. Onomatopœia quintũ tropi genus, est Quintiliano, vt mugire, sibilare, & similia. At mutatio significationis hîc nulla est: nihil enim aliud significarunt vnquam hæc nomina, & hæc prima est eorum significatio: non est igitur illic tropus. Catachresin sextum tropi genus facit Quintilianus & definit, quæ non habentibus nomen suum accommodat quod in proximo est. Verùm hæc definitio tropis omnibus conuenit, & Catachresis inter tropos ponitur errore eodem quo Antonomasia. Hic tropus incidit in alios, aut omnino tropus non est,

-equum diuina Palladis arte

Ædificant,

metaphora est ex simili simile significans: dura, esto: at concessa tamen: sic enim dicimus & ædificare naues, & orationem exædificare, & similia. At dicatur si placet hæc durior metaphora, Catachresis, non

Onomatopœia.

Catachresis.

recuso: sed intelligatur à metaphora genere ipso nihil differre. Leo pariet, metaphora est satis dura, qualis est parens pro patre, quia parere fœminæ est, tamen hoc posterius valde vsitatum est: parricida pro interfectore, pixis pro pixide, cuiusuis materiæ, synecdoche est: species quippe pro genere: dicatur etiam si lubet hæc synecdoche καταχρηστικὴ. Conatur tamen Quintilianus metaphoram à Catachresi separare, quòd abusio sit vbi nomen defuit, translatio vbi aliud fuit. at vtrunque falsum est. Metaphora enim necessitatis caussa aliquando adhibetur, vt ipse Quintilianus antea dixit, & Catachresis est aliquando, vbi nomen fuit, vt parricida pro interfectore, parens pro patre. Tollatur igitur genus hoc, aut metaphoræ & synecdochæ, aut omnino alicui tropo subiiciatur, separata tropi species nulla dicatur. Atque etiam si verè loqui volumus, omnis tropus Catachresis est: non enim sua significatione & propria rem exprimit, sed abutitur aliena. Septimum genus est tropi metalepsis, & definitur quæ ex alio in aliud viam præstat: quæ definitio omnis argumenti communis est: vitiosa igitur. Atque hîc tropi nullum omnino genus est, & Quintilianus nullum eius vsum admodum esse putat. Tollatur igitur, primùm quia nulla significationis mutatio est, nec ideo tropus: deinde quia vsum nullum habet. Octauum tropi genus est epitheton, maiore errore huc obtrusum, quàm superiora. Quid enim est tam frequens in epithetis, quàm propria significatio? calidus ignis, bruta terra, lucidus aer, humida aqua. Ali-

Metalepsis.

Epitheton.

quando autē mutatur significatio, & metaphora est, vt cupiditas effrænata, neque ideo tamen nouæ doctrinæ hîc quidquam desideratur: neque quia epitheton est, ideo tropus est, sed quia metaphora, synecdoche, metonymia, aut ironia est. Tollatur igitur ex hac doctrina epitheton. Nonū tropi genus allegoria est Quintiliano, ac definitur inuersio aliud verbis, aliud sensu ostendens, ac etiam interim contrarium: prior pars definitionis huius omnibus tropis conuenit: secunda ironiæ propria est. Allegoria autem si fiat ex continuis metaphoris, non est nouū tropi genus, non magis quàm si frequens metonymia aut synecdoche continuaretur. Neque enim hîc diuersa troporum genera dicerentur, sed multæ metonymiæ, multæ synecdochæ: ita illic multæ metaphoræ sunto, diuersum genus ne esto. Si tamen lubet allegoriam dicere, continuatis in oratione metaphoris, non recuso: sed ne imperitè in arte describenda pro genere ponatur quod genus non sit, Allegoria.

O nauis referent in mare te noui
Fluctus. O quid agis? fortiter occupa
Portum.

Hîc metaphoræ multæ sunt: nauis pro republica, fluctus maris pro bellis ciuilibus, portus pro pace. Atque omnes istas metaphoras allegoriam nominemus, genere à metaphora non separemus. Hoc aliquando obscurum est, ænigma dicitur: nomine quidē rectē. Ænigma autem Quintilianus allegoriæ speciem esse putat, & falso putat: cùm omnis allegoria ex tropis sit, ænigmata multa sint sine tropis, vt hæc, quæ falso inter tropos recenset Quintilianus, Ænigma.

Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,
Tres pateat cæli spatium non amplius vlnas.

Omnia enim propriis verbis nullis modificatis in hoc ænigmate explicãtur. Et ex omnibus artibus licet ignaris & imperitis artiũ tales obscuras sentẽtias proponere, vbi tropi nihil omnino sit. Allegoriã credit etiam Quintilianus aliquãdo sine tropis esse, vt apud Virgiliũ,

Certè equidem audieram, qua se subducere colles
Incipiunt, mollíque iugum demittere cliuo,
Vsque ad aquã, & veteris iam fracta cacumina fagi,
Omnia carminibus vestrum seruasse Menalcam.

Quod si verũ esset, certè tropus nullus esset, quia nõ esset mutatio verbi à propria significatione. At metaphora est in verbo (Menalcas) quo pro pastore significatur Virgilius: allegoria autẽ nulla hîc est. Subiicit Quintilianus allegoriæ ironiã in quo labitur. Ironia enim ipsa tropi genus est separatũ. In omni allegoria significatur ex simili simile: in ironia significatur ex contrario contrariũ. Subiicit errore multò maiore, σάρκασμον, ἀσεῖσμον, ἀνάφρασιν, παροιμίαν, μυκτηρισμόν. *Neque enim tropi hîc quidquã est, cũ verbis propriis hæc omnia decidi possint. Decimũ tropi genus periphrasin Quintilianus facit. At periphrasis omnib° propriis verbis effici potest: nec idcirco tropus vllus est omnino, sed argumẽti genus ex dialectico definitionis loco. Vndecimum genus hyperbaton facit Quintilianus, in quo cùm significationis nulla mutatio sit, nullus etiam tropus erit: & si quid in rhetorica elocutione de hyperbato dici potest, in compositione cõmodissimè dicetur, cuius gratia verba alia differenda, alia præponenda*

Periphrasis.

Hyperbaton.

ſunt. Duodecimum genus & poſtremum hyperbolen facit Quintilianus, quæ ſi in verbo eſt, metaphora quidem ferè eſt ſignificans ex ſimili ſimile: ſæpe etiam metonymia: ſed in quo etiam maius incluſum eſt, ſi res amplificatur, vt volitare gloriæ cupiditate, vt ſcelus pro ſcelerato: aut minus ſi extenuatur, vt veri ac fortis tribuni plebis ſtridorẽ perferre non poßit. Hyperbole autem ſi in verbo non eſt, ex omnibus argumentis accipi poteſt, & ideo tropus non eſt. Quamobrem ex duodecim generibus à Quintiliano in hac doctrina cõfuſis, antonomaſia, onomatopœia, metalepſis, epitheton allegoriæ tot ſpecies (ironia excepta) periphraſis, hyperbaton, & extra ſingula verba hyperbolè tropi nõ ſunt. Neque hîc Quintiliani diligentiam deſidero, qui pro paucis generib° troporũ, tot nugarũ genera cumularit, ſed iudiciũ & prudentiã deſidero: qui ſi hũc vnũ ſyllogiſmũ cõficere potuiſſet, nunquã tã multa cõfudiſſet:

Tropus omnis eſt mutatio ſignificationis:

Antonomaſia, onomatopœia, metalepſis, epitheton, tot allegoriæ præter ironiam, ſpecies, periphraſis, hyperbaton, hyperbole extra ſingula verba, ſignificationis mutatio nulla eſt:

Quare tropus non eſt.

Si inquam, Quintilianus ex definitione ſua concluſionem hanc efficere potuiſſet, nunquam in iſtam ignauiam, atque inertiam incidiſſet. At dialectica (quam ſuis ſcriptis tantopere confudit) vehemẽter illi defuit. Atque etiam vt intelligi certius poßit, quatuor eſſe tantùm troporum genera, metonymiam, ironiã, meta-

phoram, synecdochen, causam planius & apertius ex locis dialecticæ inuentionis explicabo.

Omnis mutatio propriæ significationis ex causis ad effecta, subiectis ad adiuncta, dissentaneis ad dissentanea, comparatis ad comparata, toto ad partem, contráue, est metonymia, ironia, metaphora synecdoche.

Metonymia enim est mutatio significationis ex causis ad effecta, ex subiectis ad adiuncta, contráue: Ironia ex dissentaneis ad dissentanea: metaphora ex comparatis ad cõparata: synecdoche ex toto ad partẽ, cõtráue.

Omnis autem tropus est mutatio propriæ significationis in verbo ex causis ad effecta, subiectis ad adiũcta, dissentaneis ad dissentanea, comparatis ad comparata, toto ad partem, contráue.

Nam reliqua rerum (quæ videntur significari posse dictione simplici) genera nihil habent ab illis distinctum. Nam coniugata & notatio circunstantiæ sunt nominis, non rei significatæ. Definitio & testimonium simplici dictione non significantur.

Omnis itaque tropus est metonymia, ironia, metaphora, synecdoche.

De differentia tropi & figuræ ex nono libro.

Veruntamen fallor fortasse, & inconsiderato inuestigandæ veritatis studio inductus longius progredior, quàm fines dialectici syncerique iudicij postulent. Troporum genera Quintilianus duodecim fecit: ego duntaxat quatuor instituo: antonomasiam, metalepsin, epitheton, allegoriæ tot (excepta ironia) species, hyperbaton, in coniunctis verbis, hyperbolen tropos esse non

puto: quia in his à significatione propria dictio nulla necessariò mutetur. At Quintilianus tropum distinguit initio noni libri à figura, idq; tam sapienter, vt omnes troporum propositæ species retineantur. Tropus est dictio ab eo loco in quo propria est, translata in eum in quo propria non est (ait) figura est cõformatio quædam orationis remota à communi, & primùm se offerente ratione. Hæc tropi & figuræ differentia est à Quintiliano posita: vera, certa, necessaria, fateor. Ornatus enim elocutionis, est mutatio dicendi à proprio & vulgari modo ad elegantiorẽ quendã & præstantiorem: isq; duplex est in vno verbo tropus, in oratione figura dicitur: hoc verißimum discrimen est. Verùm Quintilianus in hac tam vera sententia constanter permanere non poterit. Istum discriminis syllogismum, istud tam firmum iudicium captione nescio qua mox inducit. Syllogismus enim discriminis ita est,

Tropus est mutatio dictionis:

Figura non est mutatio dictionis, quia est orationis mutatio:

Figura igitur non est tropus.

Verius, inquam, hoc syllogismo & constantius nihil esse poterat. Quid igitur Quintilianus? Hunc syllogismum captiose paulò secus repetit, & plurali numero sophisma instituit. Desinit paulò antè tropum dictionem translatam à proprio loco: Vidit igitur antonomasiam, allegoriam, hyperbolen plerunque, periphrasim in dictione singulari non esse. Aliter igitur loqui instituit, & ita ratiocinatur,

In tropis ponuntur verba alia pro aliis:

In figuris non ponuntur verba alia pro aliis: nam propriis verbis figura fieri potest:

Figuræ igitur tropi non sunt.

Propositionem inductione conficit:

In tropis ponuntur verba alia pro aliis.

Vt in metaphora, metonymia, antonomasia. At Quintiliane quid agis? Hæc antonomasia nõ est dictio trãslata à proprio loco, vt eloquẽtiæ Romanæ parẽs pro Cicerone,

-diuûm pater atque hominum rex,

pro Ioue: oratio enim non est dictio. Tropus igitur non est. Tum verò Quintiliani captioso isto & posteriore syllogismo Quintilianum conuincam: assumit enim in figuris nõ poni verba alia pro aliis, quia omnia propria possint esse. At in illa Quintiliani antonomasia (euersor Carthaginis atque Numãtiæ) omnia propriis verbis exposita sunt. Quare vtroque Quintiliani syllogismo antonomasiã è troporum genere secernã. Sed reliquã istã inductionẽ videamus, quemadmodũ in tropis ponantur verba alia pro aliis. Metalepsis si verbũ pro verbo ponat, metonymia, ironia, metaphora, aut synecdoche est. De catachresi & allegoria satis diximꝰ, quomodo tropis subiicerẽtur. Onomatopœia pro alio ponitur (ait Quintilianus) quo vsuri fueramus, si illud non fingeremus. At quibus verbis, ô Quintiliane, vteremur in affectionibus animalium propriis exponẽdis, si ista non fingeremus? ridere, vlulare, boare. Cuiusmodi igitur ista est ratio, & q̃ à dialectico iudicio inops & aliena? Periphrasis vtitur pluribus pro vno (ait Quinti

lianus) ergo tropus est. Quid est? quomodo hîc Quĩtiliane, iudicas? q̃ lõgè à definitione tua discrepas? At lõgè aliter cõcludo & iudico, lõgè aliũ syllogismũ cõficio,

Omnis tropus est dictio à significatione mutata:
Periphrasis non est dictio à significatione mutata:
Non est igitur tropus.

Considera Quintiliane, quàm illa tua fallax, quàm sit ista constans & firma conclusio. Epitheton (ais) coniũctione Antonomasiæ fit tropus. At nec Antonomasia, nec Epitheton tropus est: vtere tuo aduersus te iudicio, vtere tuo syllogismo.

Tropus est dictio mutata à significatione:
Epitheton sæpe proprium est, nec mutatam habet significationem:
Epitheton igitur tropus non est.

Atque hoc syllogismo omnes falsas troporum species à Quintiliano in hac doctrina confusas tollo & abiicio. Laborat tamen Quintilianus in hoc primo noni libri capite vehementer: quæstiones sibi obiicit, quas dissoluere nõ potest: vult rhetorũ græcorum & latinorum opiniones retinere: videt tamẽ definitionibus exempla non congruere: tandem Gordium hunc nodum, quem soluere nõ potest, quasi frangit. Figuræ, inquit, & tropi nomine sæpe eadẽ sunt, & habent valde scrupulosam disputationem, sed ea nihil pertinent ad præsens institutum: imò verò ô Quintiliane, nomine & definitione & genere omnino distinguũtur tropus & figura: & si verum sequi potuisses, nunquam tam ambitiosè diligẽs videri voluisses: non esset ista scrupulosa tua

disputatio. Significationes figuræ & definitiones varias Quintilianus colligit. At vnica vera & propria & perspicua definitio pro tot nugis satis esset. Figurarum genera duo facit: reprehendit eos qui pauciora, & qui plura genera facerent. Vtinam græcanica ista vanitas tibi paulò remißius Quintiliane placuisset: Artes constare debent vtilium & constantium institutionum traditione, nõ omnes hominum errores & vitia colligere. Quæris deinde qui numerus cuique subiiciatur: Duos ad verbum Ciceronis magnos locos recitas inter se etiam dißidentes. Oratorio enim tertio quadraginta tres verborum figuræ à Cicerone afficiuntur: in oratore tamen tantum ab eodem septemdecim ponũtur. Figuræ sententiarum illic quadraginta octo, hic quadraginta quinque. Verùm quid citatus hic Cicero doctrinæ nobis adfert, inconstans præsertim & à seipso dissentiẽs? Excusãdus credo tibi Cicero fuit, quia tu ab eo dissensurus esses. At Quintiliane, quomodo seipsum Cicero in oratore excusauit, cum à se oratorio tertio dissentiret? Quàm verò non decet Quintiliane in arte describenda errorem cuiusquam & falsam opinionem defendere, vt veritatem interim deseras & prodas? vt discipulos (quos instituẽdos suscipis) fallas & decipias? Reprehendis rhetoras quosdam, qui figuras affectus esse diceret: hoc item dicit Cicero, cùm figuras facit, iracũdiam, execrationem, conciliationem. Cicero tamen tibi peccasse nihil videtur: vetat enim tanti hominis, opinor, authoritas id liberè profiteri. O iudicem verecundum & humanum! At mallem dialecticum, mallem

Ciceronis in figuris incõstantia.

constantem, mallem verum. Secundo capite sententiarũ figuræ tractantur à Quintiliano: figura tamen sentẽtiæ quid sit, non definitur. Est autem in absoluta sentẽtia totius orationis conformatio, & ideo mutatis verbis etiam manet: eius genera certa quidẽ nulla adhuc noui: communiones tamen quædam ipsarum inter se figurarum notari possunt. In interrogatione enim & responsione sunt permultæ (Interrogationem illam dico, qua petitur aliquid & quæritur) in interrogatione igitur solùm, qua petitur aliquid, est optatio, deprecatio, addubitatio, communicatio. In responsione permissio, conceßio continetur: in vtroque genere prolepsis & subiectio: in fictione prosopopœia, & apophasis: in abruptione digreßio, auersio, reticentia, correctio: in amplificatione exclamatio, sustentatio, licentia. Ita species artis adumbrata quædam in hac doctrina diceretur. At Quintilianus non definit figuram sententiæ, non partitur: sed suo more, vt superiora, ita sequentia hæc permiscet & cõfundit. Numerat in figuris interrogationem & responsionem, & affectibus distinguit: cùm tamen nec interrogatio, nec responsio, nec affectus ipse figura ex sese sit, quanuis in his figuræ quædam notentur. Possunt enim hæc omnia esse ἀσχήματα, id est recta & sine figura. Subiectionẽ Quintilianus vocat, cùm nobis ipsis respondemus, à qua putat prolepsim genere diuersam esse: at fallitur, quia in omni prolepsi est interrogatio quædam & interrogationis responsio, quæ subiectio est. Non persequar fictos à Quintiliano prolepsis modos, quales licet innumerabiles in omnibus

Figurarum quædam artificiosa descriptio.

Interrogatio & responsio.

Subiectio.

figuris fingere, sed sine doctrina, sine vsu. Miscet hic etiam correctionem: vt, Quanquam illa non pœna, sed prohibitio sceleris fuit. At correctionis alia ratio est, & à prolepsi distincta: Similis est error in addubitatione, cõmunicatione, permißione, concesßione: Illæ enim duæ primæ figuræ in interrogatione, duæ secundæ in responsione perpetuò sunt. Addubitando enim & communicando quærimus vtique aliquid, & rogamus: in permißione & concesßione quasi quæsitum aliquid sit & rogatum, ita respondendo permittimus & concedimus. Sunt item in quærendi quodam & rogandi genere optatio & deprecatio, de quibus nullũ verbum Quintilianus facit. Sustentatio sicut & exclamatio & licentia, figuræ in amplificatione semper occupatæ sunt. At duas postremas tollit Quintilianus è figurarum genere & numero. At quia formæ sunt dicendi à communi & vulgari consuetudine remotæ, figuræ sanè erunt. Huc aggregat sine nomine figuras augẽdis affectibus accommodatas. At nec affectus, nec simulatio figura est: Ironia enim tropus est, nõ figura. Est enim mutatio significationis à dissentaneo ad dissentaneũ, vel in his exemplis quæ recenset in his figuris Quintilianus. A quo repudiatus, ad sodalẽ tuum virum optimum M. Marcellum demigrasti. Ironia est in solo verbo (optimum) non in tota oratione. Quinetiam in aliis exemplis idem est. vt pro Sylla, Nisi paucos fuisse arbitramini, qui conari aut sperare possent se tantum imperium posse delere. Ironia enim est in verbo (paucos) possunt autem ironiæ multæ coniungi: vt in Clodium,

Correctio.

Addubitatio.

Communicatio.

Permißio.

Concesßio.

Sustentatio.

Exclamatio.

Ironia.

Integritas tua te purgauit, mihi crede, pudor eripuit, vita anteacta seruauit: & tamen tropi multi sunt, vt in allegoria, nõ figura vna. In abruptione figuræ sunt, digressio, auersio, reticentia, correctio. At correctionis separatim (vt dixi) mentionem nullam Quintilianus facit. Illustrationem figuram putat, initio tamen capitis huius in Cicerone figuram non putauerat, cùm Ciceroniana illa lumina numeraret, quæ ipse figuras non censeret. Figura verò non est, sed potest ex omnibus & argumentis & figuris fieri. Concessionem, confessionẽ, consensionem tres figuras Quintilianus genere distinctas arbitratur: ego genus vnum, duo summùm puto, & confessioni valde finitimam esse concessionem video. Contra ἠθοποιΐαν separat à prosopopœia Quintilianus. At separari nullo modo potest. Corrolariũ verò tanti capitis (quo de figuris sententiarum dicitur) in Emphasi oratione longissima consumptum est, quæ est, cũ ex aliquo dicto latẽs aliquid eruitur. At hoc Quintiliane ratiocinationis cuiusdã & cõclusionis est, figuræ nihil. neque enim est noua orationis forma, sed vis quædã cogitationis solers & acuta. Atque hoc genus, vt ex Quintiliani verbis constat, in scholis rhetorum tum maximè ferebatur. Tandem verò ne negligens videretur Quintilianus fuisse, aut non omnes ineptias hominum in has institutiones cõtulisse, præter figuras probatas, & præter Ciceronis figuras iam memoratas colligit tres & quadraginta nouas figuras. Quamobrẽ ne vt iudicium & prudentiam locis omnibus à Quintiliano, sic diligentiam requirere possemus. Laborauit,

Illustratio.

Concessio.
Confessio.
Consensio.

Emphasis.

inuestigauit, legit, animaduertit, cumulauit denique quamplurima: at bona, vtilia, vera, propria iudicare & secernere non potuit: initio libri huius tropum à figura separare non potuit: imò verò nõ potest hic figuram definire, nõ potest figuras à non figuris seiungere. Instrumẽto vno Quintilianus caruit ad artis institutionem, maximè tamen necessario: syllogismus, syllogismus, inquam, imò verò etiam methodus ei valde vehementérque defuit. Versatus sit in foro tot annos, in ludo iuuentutem exercuerit: at docendi artem non tenuit: aut certè in his libris non adhibuit. Veruntamen figuræ verborum reliquæ sunt, & magis etiã confusæ, quàm sententiarum figuræ fuerunt: ad eas igitur accedamus. In his verò tantam confusionem non apud Quintilianum solùm, sed omnes rhetoras video, vt maior nulla adhuc fuerit. Nihil est arte tractatum, non definita in vniuersum verborum figura, non generum distributio facta, multæ pro figuris nõ figuræ sunt admistæ: exẽplis species eædem, tanquã tamẽ diuersæ sunt distinctæ: denique, quod caput cõfusionis est, nõ modicũ, figuræ nominibus inter se apud artis huius authores tã cõfusæ sunt, vt aliæ aliarũ nominibus plerũque sint appellatæ. Sed nũc de Quintiliano, qui tertij capitis initio dicit figuras sæpe mutari, quod verũ esto: tum verò quale est, quod Quintilianus ait ad hãc probationem:

Figuræ verborum.

„ *Veteres, ait, & præcipuè Cicero, dicebant inuidere hãc*
„ *rem: non huic rei. At Quintiliane, non solùm isto modo Cicero nõ loquitur, sed malè etiam Latinè ab Actio carmen illud conuersum profitetur in Tusculanis,*

Florem liberûm quisnam inuidit meûm?

Atque hic locus admonere nos potest, quàm negligẽter in Ciceronis lectione sit hic homo versatus, qui nõ modò Ciceronis dictionẽ & phrasim imitandam sibi nullam proposuit, sed nec obseruauit quidẽ, aut animadueritit qualis esset. Duo genera figurarũ in verbis Quintilianus deinde facit, grammaticũ & rhetoricum: nec vsquam meminit eius quæstionis, quam explicandam suscepit. Rhetoricas institutiones suas appellat ac debuit appellare grãmadialectoricas, quia in his grãmatica, dialectica, rhetorica confunduntur. Doceat enim grammaticus grammaticas, rhetor rhetoricas figuras: non misceantur in rhetoricis grammaticæ: & aliquãdo tollatur bella ista defensio, Necessarius est vsus harum figurarum oratori, propterea hîc traduntur: potest enim orator etiam his vti, cùm à grammaticis didicerit: sed tamen quæ sunt hæ grammaticorũ figuræ, quas hîc sibi confundendas Quintilianus existimauit? In his enim tam malum grãmaticum Quintilianũ fuisse conuincam, quàm malum rhetorem esse adhuc docui. Metaplasmi ferè vocãtur à grãmaticis, quando in oratione genus generi, numerus numero non respõdet: partes aliæ pro aliis ponuntur. In quo denuo Quintilianus indicat nõ modò Ciceronis, sed nullius hominis phrasim

Quintilianus Ciceronianæ dictionis ignarus.

„ *sibi propositam fuisse. Facere contumeliam à Cicerone*
„ *reprehendi notum est (ait) affici enim cõtumelia dicebant. Verùm Quintiliane, Plautus & Terẽtius facere contumeliam ante Ciceronem dixerunt: Tu contumeliam alteri facias, tibi non dicatur, (ait ille) Hic autẽ,*

Tunouo modo ei faceres contumelias: & quanuis vsitatius esset, cõtumelia afficere, quàm contumeliam facere: attamẽ etiam latinè dicebatur, contumeliã facere: & in reprehendendo Antonio cupiditas paulò lõgius Ciceronem produxit. Ergo Quintilianus in elocutionis & phrasis genere rursũ labitur. Similes deinde lapsus sunt vt vetustatis obsoletæ exempla notat in Virgilio,

Vel cùm se pauidum contra mea iurgia iactat.

Progeniem sedenim Troiano à sanguine duci.

Quasi verò nõ similiter etiam vtroque Cicero, venustè scilicet & vsitatè sit vsus, Vel quod est in eodẽ decreto scriptũ (ait pro Flacco) Sedenim hoc nõ solùm ingenij, sed etiã naturæ atque virtutis (ait pro Archia.) Immiscet deinde Quintilianus inter figuras grãmaticas de figuris sentẽtiarũ Apostrophen, quæ tamẽ antea tradita suo loco inter figuras sententiarum fuerat. Atque totus hic de grãmaticis figuris tã cõfusus locus Quintiliani dialecticã ualde demonstrat. Redit deinde à figuris grãmaticis ad rhetoricas figuras. Primũ earum genus facit per adiectionẽ, & figuras enumerat repetitionis sine nominibus ἐπίζευξιν, ἐπανάληψιν, ἀναδίπλωσιν, ἐπάνοδον, ἀναφορὰν, ἐπιστροφὴν, συμπλοκὴν: cõfundit inter eas πολύπτωτον & gradationẽ, quæ duæ cõmutationẽ habẽt: non adiectionẽ & asyndeton, quæ detrectationẽ habet, nõ adiectionẽ: cõturbat etiam multa de cõgerie, quã μεταβολὴν vocat, & de dissipatione, de synonymia verborũ & sententiarũ quæ figuræ speciẽ per se nullã obtinẽt. Secundũ deinde genus sequitur, quod detractione fieri Quintilianus dicit: in quo

ſpecies quinque enumerat, ἔλλειψιν, quæ metaplaſmus eſt in poetis magis aliquãdo permiſſus, q̃ vnquã vlla in oratione laudatus, tãtũ abeſt vt figura ſit. Aſyndeton & σωεζευγμένον grammaticæ magis, q̃ rhetoricæ figuræ adduntur. Tum σωοικοδόμησις, & παρεκβολὴ, quarum illa res contrarias cõiungit, hæc ſimiles diſcernit: quod elocutionis nihil eſt omnino, nec ideo figuræ quicquam. Tertium genus triplex additur ex ſimilibus, paribus, cõtrariis. At tota ratio cõtrariorum argumenti eſt, elocutionis nihil eſt, ideóque figura eſſe non poteſt. In primo ſimilium genere, προσονομασίαν figurã facit ex eo ſchemate quod antea πολύπτωτον appellauit: vt mulier rerum omnium imperita, in omnibus rebus infœlix. Hæc enim caſuum varietas polyptoton eſt. Paronomaſiã pro correctione item hîc confundit: vt quæ lex priuatis hominibus lex eſſe non videatur. Miſcet etiã ἀντανάκλασιν, vt filius ad patrem, Non expecto pater mortẽ tuam. Et pater cõtrà filio, Imò rogo expectes: vbi figura nulla eſt, ſed ſarcaſmo ex ambigua verbi ſignificatione. Illic enim expectare ſignificat deſiderare, hîc verò præſtolari. Atque his duobus nominibus τῆς προσονομασίας καὶ παρονομασίας, cùm nihil ſignificetur, niſi figura ea in qua verbũ paululum immutatũ atque deflexũ varia ſignificatione vſurpetur: vt, Non emiſſus, ſed immiſſus: non orator, ſed arator, quæ breuiter & perſpicuè poſſet explicari, cùm, inquã, nihil aliud ſignificetur, hîc tamẽ longiſsima oratio & ineptiſsima cõfunditur, vt nihil tamen noui doceatur. Quatuor deinde ſimiliũ genera à Quintiliano proponũtur, πάρισον, ὁμοιοτέλευτον, ὁμοιό-

πλωζον, ἰσόκωλον, cùm primum & quartum idem sit, & vtrumque fiat è paribus membris, nec quicquã differant. ὁμοιοτέλευζον etiam falso putat Quintilianus esse in his exemplis, Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia. Postremam è figuris verborum facit ἀνάθετον, in eóque fallitur: argumentum enim figura non est, ἀνάθετον autem ex dissimilibus argumentum est: non igitur figura. Colligit Quintilianus ad extremum omnes rhetorum ineptias & nugas, ne credo parte aliqua institutionis rhetoricæ diligentiam Quintiliani potius, quàm prudẽtiam requireremus. Separat tandẽ Quintilianus à figuris compositionem, sed inelegãter admodum & incõsideratè. Quid enim est figura, Quintiliane? Cõformatio (ais) elocutionis remota à vulgari consuetudine: At, inquam, compositio & numerus est elocutionis conformatio remota à vulgari consuetudine: Est igitur figura. Hanc autem syllogismi conclusionísque regulam si didicisses, si adhibuisses describendæ artis & componendæ doctrinæ legem, Quintiliane, ista tam inconsideratè nunquam effudisses. Mirabile verò rhetoris huius ingenium est: præcepturus enim de compositione Quintilianus non definit initio, deinde non diuidit, sed longissimo exordio vtitur & verbosissimo, vbi ratio doctrinæ nulla est, quemadmodum antea fecit in capite de ornatu. Exordio tandem concluso sequitur compositionis doctrina, in qua tres primùm diuisiones ineptissimæ collocantur: prima est orationis in vinctã & solutam. Quid enim, Quinti-

Compositio.

liane? Recipis te de virtutibus elocutionis præcepta positurum, & hîc tamẽ ex compositione virtutis & vitij elocutionem distribuis, vt alia composita sit, quod est laudis & virtutis: alia incomposita, quod est vituperij atque vitij. Corrigis tamen te, & ais in sermone & epistola numeros laxiores potius esse, quàm nullos, vt oratio cuiuscunque generis sit, composita esse debeat: quod sanè tam verum est, quàm de reliquo orationis ornatu. Tropi quidẽ sunt & figuræ in omni oratione, sed pro rerum, quæ tractantur, & personarum quæ docentur, ratione ornatus augetur, aut minuitur. Secũda diuisio est in κόμματα, κῶλα, περίοδον, quæ diuisio compositionis non est. Potest enim oratio his omnibus partibus esse distincta, & tamen ineptissimè composita. Atque tota illa consideratio grammaticæ est, cùm in grammatica docendum sit, quomodo puer orationem interpunctis diuidere, & quibus modis debeat distinguere. Tertia partitio omniũ stultißima est, qua tribuitur cõpositionis ratio trifariam in ordinem, iuncturam, numerum. Primùm compositio ipsa & numerus idem planè est: siquidem oratio numerosa & composita eadem est, nec vlla est composita, non numerosa, siue contrà: etsi quicquam de reliquis partibus ad compositionem necessarium dicitur, idipsum commodißimè in numero diceretur. Ordo verò de quo præcipitur, hîc à Quintiliano falsus est: neque crescere debet perpetuò oratio, vt ait Quintilianus, sed cùm minuendi gradus pares sint amplificandi gradibus, quoties extenuãda res erit, toties de-

Compositionis vitiosa partitio.

Compositionis secũda diuisio vitiosa

Compositionis tertia partitio vitiosa

„ crescat oportet oratio. Est & alius naturalis ordo (ait
„ Quintilianus) vt viros & fœminas, diem & noctem,
„ ortũ & occasum dicas potius, q̃ retrorsum. Verunta-
men si quid ordinis ista dignitas vt plerunque obser-
uanda est, certè de rebus ipsis, non de verborum ordine
obseruanda est. At plerunque tempus quod sequimur,
contra est: Fratres gemini dicendũ (ait Quintilianus)
non gemini fratres. At Liuius (cuius lacteũ candorem
tantopere hîc ipse magister admiratur) primo libro ait
geminos fratres, & tergeminos fratres. Tam prolixa
verò de ordine partium orationis altercatio valde ri-
dicula & inepta est, qualis est in iunctura de hiatu
vocaliũ & asperitate consonantium: vbi valde mi-
randa est Quintiliani negligentiáne dicam an igno-
rantia nescio. De vitiis disserit quæ de vocalibus
& consonantibus in compositione possunt accidere:
de virtutibus, quæ sunt huic necessariò exprimen-
dæ, verbum nullum facit. Ex literarum enim natu-
rali bonitate magis, quàm ex temporum in syllabis
dimensione omnis singularum dictionum & grauitas,
& iucunditas, & splendor, & obscuritas, & ma-
gnificentia, & subtilitas, atque omnino omnis nu-
meri virtus oritur. Nec satis est monere, qui pedes nu-
merum suauiter instituant, qui concludant. Multum
enim interest quæ sint in pedibus longæ aut breues vo-
cales: longæ fuerint prima & tertia vocales, an ni-
hil interesse inter vtriusque sonos arbitramur? an
nihil accessionis fieri ad vocalium sonos ex consonan-
tium coniunctione iudicamus? Imò verò potest nu-

merùs alius alio vel gratior, vel ingratior esse, nec ista per syllabas distinctio temporum, sed vocalitas, sed εὐφονία numerum efficiet. De tertio tandem compositionis membro, quod tradit Quintilianus, quomodo rhythmum diuidit? Rhythmus (ait) par est vt dactylus, at sexcuplex, vt pæan: aut duplex, vt iambus. O partitionem & ineptam, & insulsam! Primùm quid vtilitatis habet ista partitio, etiam si vera sit? quæ pars deinde compositionis, quæ ratio doctrinæ refertur ad istam parium, sexquiplicium, duplicium comparationem? nulla omnino. Deinde verò quàm est ridiculum & insipidum sic partitionem informari, vt plures partes relinquas, quàm complectare? At maiorum rerum cum minoribus collatio quinque differentias habet πολλαπλάσιον, vnde duplex est ratio: ἐπιμόριον, vnde sexquiplex. ἐπιμερὴς, πολλαπλασιεπιμόριον, πολλαπλασιεπιμερὴς: de quibus tribus postremis generibus nihil hîc attingit Quintilianus, & primi generis vnam tantùm attingit, cùm sit eiusdem generis amphibrachys è breui, longa, breui: habet enim rationem multiplicem triplam, & dochimus, cuius postea Quintilianus meminit è breui, duabus longis, breui, longa, si medio spatio diuidatur, rationem efficiet ἐπιμερή. Quare tota ista partitio explodēda planè est, et ad Aristotelis (à quo videtur Ciceroni & Quintiliano reperta) sophisticas argutias referēda. Verùm perge: singulares sunt deinde metri & rhythmi differentiæ, quas Quintilianus instituit. Metrum, inquit, constat ordine,

Numerus.

Pedū vitiosa partitio.

„ rhythmus spatio temporum: ideóque hic qualitatis est,
„ illud quantitatis: quasi verò nullus sit ordo in prosa
„ oratione, & non intersit plurimum longæne, an breues
„ sequantur. Secunda differentia primæ sapientia par
„ est, in rhythmo indifferens est (ait Quintilianus) da-
„ ctylúsne ille priores habeat breues, an sequentes: in ver
„ su pro dactylo poni non poterit anapæstus aut spōdæus.
Quid ergo, Quintiliane? si nullus est in oratione ordo
syllabarum longarum & breuium, nec refert an tres
syllabæ (quarum vna longa sit, duæ breues sint) faciāt
anapæstum, an dactylū, quid est quod postea tam mul-
ta de ordine longarum & breuium in pedum coniun-
ctionibus cōmentaris? quorsum tot obseruationes tuæ, si
nihil interest, præcedāt breues an longæ? Aliæ duabus
his differentiis sequuntur similes differētiæ, quòd me-
trum sit in verbis, rhythmus in corporis motu: quasi
verò versus ille,

Sic fatur lachrymans, claßiq; immittit habenas,

potius in singulis verbis, q̄ in vniuerso sex pedū nume
ro concludatur. O doctorem doctrinæ, quam profiteris,
expertē! Verùm tot ineptias omittamus, & cætera con-
sideremus. Vitaueris in soluta oratione carmen perfe-
ctum, & initio orationis initium carminis, & in fi-
ne, finē: ex omnibus & omnium generū syllabis, sed va
riatis & moderatis orationem componere licebit. At
Quintilianus Aristotelem & Ciceronē sequutus, va-
nißimas artes nobis explicauit. Pedes dissyllabi sunt
quatuor, trissyllabi sunt octo. Quid tum? Ex his ob-
seruationes numerorum quadraginta Quintilianus

efficit. Verùm quàm ridiculè atque ineptè! Nam in hac obseruatione non solùm eundem numerum modis pluribus inutiliter obseruauit, sed sibiipsi plerũque repugnauit. Nam si per quatuor extremas syllabas, quod Quintilianus etiam hîc interdũ facit, numerum distinxeris, & vltimam pro indifferenti (quod eidem etiam placuit) sumpseris, certè omnes Quintiliani obseruationes tam variæ ad octo redibunt, atque aliis aliæ repugnabunt. Affirmat Quintilianus numerum ex pæane primo & spondæo vitiosum esse in clausula, vt, Brute dubitaui. At eundem mutata obseruationis specie laudat. Accipiet (ait) ante se choreus & pyrrichium, vt, Omnes propè ciues virtute, gloria, dignitate superabat. Sex enim postremæ syllabæ in vtroque exemplo parem numerum habent, cùm sit vltima indifferens. Duo spondæi (ait Quintilianus) non ferè coniungi patiuntur, quod tamen Cicero in Crasso probauit, & Quintilianus ipse in tribus aliis obseruationibus laudauit, molossus & palimbacchius optimè claudunt. At vltima indifferenti tres spondæi hîc coniunguntur, vt patet etiã Quintiliani exemplo, Et spinis respersum. Optimè claudit (ait idem) bacchius & palimbacchius, spondæus & choreus. At vltima indifferẽti posita, spondæi item duo postremi sunt. Tanta caligo rhetoris huius menti offusa est, vt non modò nugatoriè sæpius idem repetat inutiliter, iterétque, sed sibiipsi contraria repugnantiáque dicat: ita sine dialectico syllogismo, sine iudicio his in rebus versatur. Longissima reliquo capite oratio consumitur, quis mo-

dus compositionis sit, quomodo eius iudiciũ penè naturale totum sit, quod verum est: tum de incisorum, mẽbrorum, periodorum, historiæ, exordij, narrationis, confirmationis, epilogi compositione, quod est sanè perridiculum. Definitur à Quintiliano incisum, sensus nõ expleto numero conclusus, quasi verò incisi ratio pendeat ex numero, vt si numerus expleatur, aut nõ expleatur, idcirco incisum esse aut nõ esse necesse sit, & in incisis non poßit nõ plenus esse numerus, nec tamen incisa esse desinãt. Citat Quintilianus à Cicerone exẽpla, & cum eo errat, Domus tibi deerat? at habebas. Pecunia superabat? at egebas. Verùm ego hîc membra quatuor video, non incisa quatuor. Simili errore in membrorũ & periodorũ doctrina vagatur Quintilianus, nec ex eius oratione sciri potest, quid horum quicquam sit. Dicam verò, quoniã ipse non dicit, incisum, est imperfecta sententia: membrum, perfecta quidem, sed alio tamen relata sententia: periodus omnino perfecta atque absoluta, vt syllogismus omnibus ex partibus constans periodus est: Propositio, assumptio, cõplexio mẽbra, quæ si vno verbo sentẽtias complectãtur alias, incisa sunt: vt hîc,

Vnà Eurúsque, Notúsque ruunt, crebérque procellis
Africus,

Incisa tria sunt: periodus itaque aliquando breuior erit, vt

Nihil sapienti præter culpã in vita præstandũ est.

Atque in his orationis formis, sicut in cõpositionis partibus tam multa quæ fabulatur Quintilianus, nullam doctrinæ rhetoricæ micam habent, sed inanẽ pompam,

& sophisticam ostentationem nescio quam: vt imperiti discipuli magistrum talem admirentur, ab eo doctrinam nullam consequantur. Quamobrem videmus in capitis huius tam prolixa confusione quàm multa Quintilianus peccauerit: exordiũ libri instar sine arte, definitio huius artificij nulla, partitiones ridiculæ & vitiosæ: numeri poetici & oratorij ineptæ differentiæ, numerorum obseruationes confusissimæ & inertissimæ sine certa argumenti vllius scientia, sine vlla syllogismi prudentia meræ ferè ac perpetuæ nugæ.

Decimus liber descriptæ artis exercitationẽ quãdã demõstrat. Primo autẽ capite lõgissimo illo quidẽ, eloquẽtiæ habitũ, id est ἕξιν parari legẽdo, scribẽdo, dicẽdo præcipit Quintilianus. De legẽdo itaque totũ primũ caput est, de scribẽdo quatuor proxima, de dicendo reliqua duo. Atque primo illo capite disputat Quintilianus, tametsi orator veras causas agẽdo eloquẽtiæ candidatũ excitare multũ potest, scriptæ tamẽ orationis lectionẽ certioris esse iudicij & maioris fructus. Quẽadmodũ Cicero cũ reuersus Athenis, decẽ annos perpetuos (vt ex scriptis eius obseruaui) quotidie ĩ foro, in curia, in rostris oratores audiuit, legit etiã interim scriptas oratorũ varias orationes. Quintilianus igitur existimat lectionẽ eiusmodi, q̃ auditionem vtiliorẽ esse. At vehemẽter hîc ab eo dissentio, & exercẽdæ artis huius eũ rationẽ ignorare contendo. Rhetoricæ enim sicut & dialecticæ & cuiusuis exercendæ artis ratio duplex omnino est, ἀνάλυσις & γένεσις. Primum enim est vt artis vsum in propositis exemplis cernamus, deinde si-

In librum decimum.

Auditio melior lectione.

milia his effingamus. Vt igitur præcepta artis melius cognoscuntur audiendo diligenti & erudito doctore, quàm eius legendo libro, sic vsus præceptorum primùm melius audiẽdo, quàm legendo exercetur. Recens est & infirma artis cognitio, quæ facilius multò alio ducente, & viã indicãte sequitur, quàm per se progreditur: multa & troporũ & figurarũ & omnis elocutionis exempla rudis & nouitius discipulus dicente Cicerone perspiciam subitò & admirabor, quæ in scriptis eius orationibus vix multa obseruatione tandem deprehenderem. Neque tamẽ in veris causis duntaxat oratores ad hanc exercitationem audiri iubeo, sed magistros orãtes in schola suis exemplis hîc præire volo, vt nõ solùm discipulis bene dicendi artem ex pictis præceptis ostendant, sed multò magis vsum viuis exemplis aperiant: quod idem ferè paulò pòst in imitatione Quintilianus docet. Da mihi rhetorẽ non solùm docendi, sed etiam dicendi peritum. Da Ciceronẽ qui Cælio, qui Dolabellæ, qui Hircio, qui Pansæ, qui Crasso, qui multis aliis fuit, an non rudem eloquentiæ discipulum melius audientem docebit, quàm eius orationes doceret? Hæc igitur scholastica auditio prima sit, deinde omnibus locis oratores omnes audiantur. At in lectione firmius iudicium est (ait Quintilianus) Credo scilicet discipuli iudiciũ firmius esse solùm, quàm si iudicio præceptoris confirmatum fuerit. Pudet dissentire (ait Quintilianus) Quasi verò discipulus iste noster in eloquẽtiæ studiis exercendus ad oratorem audiendum iudex rhetoricæ ignarus nõ peritus obseruator accesserit, & Colotes

Teius cùm Thimãtis tabulam spectaret (qua pictor hic viderat cum immolãda Iphigenia, tristis Chalcas esset, mœstior Vlysses, mœreret Menelaus, obuoluendum caput Agamẽnonis esse, quoniam summum illum luctum penicillo non posset imitari) tum, inquam, in hac tam miserabili & lamẽtabili pictura Colotes lachrymis oculos complerit, nõ in omnes artificij rationes animum potius intenderit. Alia docti contemplatoris & sapiẽtis obseruatoris persona est, alia improuidi, nec artem animaduertentis auditoris. Quamobrem primùm fuerit eloquentiæ discipulus, auditor & disertorũ magistrorum & eloquẽtium oratorum: deinde lector & vt in audiendo, sic in legendo obseruabit omnes artis suæ laudes in tropis & figuris. Hoc Quintilianus non monet. In commemorandis autem rhetoribus quos eloquentiæ discipulo legẽdos putat, relabitur ad errorem primi & secundi libri, poetas primùm, deinde historicos, oratores tandem proponit, atque ita nobis analysin describit. Deinceps accedit ad genesin, secundam exercitationis partem, vt imitãdo vel per nos ipsos aliquid conando scribamus & dicamus. Secundo igitur capite laudat Quintilianus imitationem, nec tamen satis esse putat: sed conãdum aliquid supra eos, quos imitamur: in quo libenter assentior, nisi quod non imitabilem inuentionem existimat, in hoc enim grauiter erat. Ex omnibus enim dialecticæ & rhetoricæ partibus nullã facilius est imitari, quàm inuẽtionem, quia nullum est argumenti genus non notatum & descriptum: nullius forma est argumenti, cuius simile nullum possit in alia

Imitatio.

Inuentionẽ inimitabilẽ falso putauit Quintilianus.

causa reperiri. Duo (ait) imitationi esse proposita, quos imitemur, quid imitemur: hoc etiam concedo. Multa miscet hic de decoro ineptè: de hoc enim nihil adhuc præcepit, nec in rhetoricis elocutionis vel actionis præceptis quicquam est tradẽdum. Hoc enim si cuiusquam artis est, dialecticæ prudentiæ est magno vsu rerum confirmatæ, non rhetoricæ. Plures imitandos, non vnum Quintilianus existimat, id etiam libenter accipio, vt potius multorum virtutes, quàm vel vnius etiam vitia consectemur, modò tamen in optimis quibusque confirmatus prius fueris. Tertio capite præcipit Quintilianus quamdiligentißimè, & quamplurimũ scribendum esse, vt bene potius quàm citò scribatur, tandem verò celeritas vsu & consuetudine comparetur. Quod ex parte quidem, non totum verum est. Volo enim vt Cicero, vt Quintilianus etiam libri secundi capite quarto vult, se efferat in adolescente fœcunditas, vt sit quod amputari poßit. Non enim potest in eo succus esse diuturnus, quod nimis celeriter maturitatẽ est assecutum. Quanquam reprehendit Quintilianus ipse deinde in scribendo nimiam & diligentiam & negligentiam. Reliquum caput de loco, de cæris, vbi scribatur, sicuti caput proximum de emẽdatione nihil admodum præcepto vllo dignum habet. Quinto capite tractatur ferè idem argumentum, quòd scriptio conuertendis in sermonem Latinum Græcis cõmodè adhibeatur. Quæ sanè exercitatio rudi & nouitio eloquentiæ Latinæ discipulo non conuenit, qui verborũ copiam nondum pararit, vt ea Græcam eloquentiam

Decorum.

Scriptio.

latinè reddat. Probat etiam Quintilianus eandem ex latinis conuersionem, præsertim de carminibus, quia res vna dici pluribus modis poßit. In quo etsi merito à Cicerone dissentit Quintilianus (Cicero enim hanc exercitationem in secundo de oratore argumento leuißimo tollit) attamen hæc exercitatio non nisi confirmato iam & corroborato stylo prodesse poterit, & in eodem vitio cum superiore fuerit. Reliqua de thesi & declamationibus similia sunt, qualia sunt toto capite septimo, quòd extemporalis dicendi facultas paretur arte, exercitatione, nihil habent noui præcepti, sed inanem loquacitatem propriam Quintiliani. Quamobrem de exercitatione libro decimo ita præcipitur, vt de artis ipsius partibus est præceptum, nihil perspicuè definitũ, nihil acutè partitum, nihil ad verum vsum congruẽter expositum est, nullum denique dialecticum vel consilium vel iudicium est adhibitum.

Vndecimo libro de decoro, memoria, pronũtiatione præcipitur, & in singulis rebus capita singula cõsumũtur. Primo itaque capite longißimus sermo de aptè dicendo consumitur, sed hoc totum decori tam prolixum præceptum valde in rhetoricis præceptis est indecorum. Videre enim quid deceat omnino omnibus in rebus, si qua poßit ars propriè explicare, dialectica certè fuerit, quæ leges omnium rerum communes, & maximè generales ostendit in argumento, syllogismo, methodo, quid conueniat in omni re atque causa, quid verè deceat, quid non deceat. Attamen quanuis id generatim in dialectica præcipitur, id etiam priuatim & singula- De decoro ex vndecimo libro.

tim ex aliis artibus singulis intelligitur. Decorum in sermonis puritate & elegantia ex grammatica, in elocutione & actione ex rhetorica, in numerorum supputatione & magnitudinum diuisione in concẽtibus & sonis, in astrorum motibus ex arithmetica, geometria, musica, astrologia: in stirpibus & plantis atque animalibus ex physica: in virtutibus & moribus ex ethica philosophia: in ædificiis, in agris ex architectura & agricultura: in omnibus & dictis & factis, in omnibus rerum quotidianarum & nulla arte comprehensarum consiliis ex humana earum rerum prudentia: denique in omnibus rebus quod decorum sit, cognitio ipsa atque scientia & vsus declarabit. Nec tamen separatum de decoro & distinctum vllum præceptum erit, quia decorum ipsum conueniens ea perfectio est, quam artes suis præceptis, quam ipsa humanitatis ratio & sapientia demonstrat. In rebus verò nulla arte singulari comprehensis, communes ingenij & naturæ dotes, quas dialectica interpretatur, excitãdæ & adhibendæ erũt: vsus itẽ, mores, exẽpla admonebunt. Quare quod tam latè pateat, ridiculum sanè est rhetoricæ veluti proprium subiicere. Secundo capite Quintilianus accumulat Græcorum omnes ineptias de locis & imaginibus ad memoriam conformandum: quas ipsas merito deridet, & suas nugas Carneadem, Metrodorum, Simonidem, earum inuentores habere iubet, simpliciora & meliora putat esse diuisionem & compositionem cum labore & exercitatione coniunctã: quod sanè maximè in Quintiliano laudo & probo: ac si diuisionis

De memoria.

artem & ordinis proponeret, multò magis etiam laudarem & probarem: tum enim memoriæ artem nobis explicaret. Ars memoriæ (ait) tota posita est in diuisione & compositione. Quæramus igitur quæ sit ars ordinis, quæ sit ars, quæ res diuidat & componat, tum memoriæ artem inueniemus. Est autem in dialecticis syllogismi & methodi præceptis tota hæc ordinis doctrina diligenter in nostris institutionibus exposita. Vera igitur illic memoriæ ars & dialecticæ propria omnino est. Itaque Quintilianus in isto capite res alienas quidem, & plerunque etiam ridiculas tradit, sed tamen vero propiores, quàm adhuc permultas tradidit. Cuiusmodi caput de pronũtiatione multis quidem præceptis vtilibus refertum, sed totidẽ nugis oneratum, vt ineptiæ facilè necessarias institutiones superent. Vana siquidem curiositas est in tam multis & vocis & gestus sectionibus, cùm tota illa tot versuũ millibus accumulata doctrina paucis verbis perspicuè tradi posset. Duodecimi libri prima illa initio à nobis disputata sunt, quòd orator sit vir bonus, quòd philosophus, iureconsultus, historicus: proxima autem quæ primùm sint agendæ causæ, & quid in his & suscipiẽdis, & discẽdis, & agendis sit obseruandum, itémque postquam à foro discesseris, quibus rebus otium sit obiectandum, non vnius artis rhetoricæ decreta, sed eius aduocati (quem nunc vulgò dicimus) studia quædam demonstrant. Et longissimũ caput de generibus dicendi, rhetoricæ elocutionis propriũ nil habet, nec enim distinctio grauitatis, humilitatis, mediocritatis in oratione sumitur ex

verbis tantum, sed ex rebus ipsis, vt hæc partitio sit communis inuentionis cum elocutione. Quamobrem si lubet quinque postremorum librorum subductis rebus omnibus considerare, quæ descriptio doctrinæ fuerit, vt non liceat idem dicere, quod de superioribus inuentionis & dispositionis libris antè dictũ est, & artem & artis vsum penitus à Quintiliano conturbari: certè verè confirmari poterit multis & inanibus præceptis artem rhetoricam in elocutione & actione onerari, & longè maiorem inanis ostentationis & pompæ speciem iactari, quàm veræ & solidæ doctrinæ rationem demonstrari.

ERRATA SIC CORRIGITO.

Folio 5. linea 11, exquirendas Fo. 16. lin. 2, admiscenda? Ibidem, lin. 18, de etymologia Fo. 34. lin. 6, vt rem difficilem Fo. 47. lin. 8, dialecticæ Fo. 52. lin. 13, Si probatio Fo. 57, in margine, De mouendi & delectandi artibus, ex sexto libro. Fo. 89. lin. 5, συνοικείωσις.

Verba tantum, sed ex rebus ipsis, vel hoc peculiario sit commentum sententiarum cum elocutione. Quamobrem si lubet quintque postremorum librorum subductis rebus omnibus considerare, quae descriptio doctrinae fuerit, vel non licere id eum dicere, quasi de superioribus innumerabilibus & disputationibus libris antea dictum sit, & aliquem & aliquem pertinere. Quemadmodum contrariorum praecepta ac res contrariae pertinent ad eum & inanibus praecepta ac res pertinent ad elocutionem & adhibere operam, & longe maiorem innumerabilibus & pompae pertinent ad eum, quam vera & solida doctrinae rationem demonstrare.

ERRATA SIC CORRIGITO.

Folio 5. lineam 21 requirendas. Fo. 16. lin. 3. adhibendas Ibidem, lin. 18. de etymologia. Fo. 34. lin. 6. vtrum difficilem. Fo. 47. lin. 8. dialectice. Fo. 51. lin. 13. si probatio. Fo. 57. in margine. De movendi & delectandi artibus, ex lexico libro. Fo. 89. lin. 5. eiusmodi.

CAROLO LOTHARINGO

Rhemorum Archiepiscopo Mecœnati suo

Petrus Ramus S.

Ad quartum Idus Octobris, quanuis nihil nobis otiosius esse potest, Aristotelis tamen πόνον ἕτερον inire cœpimus: vtrum? inquies, δειλινόν, inquam, quod esset aptior homini desidioso, & dum (vt ait ille) - clarum mane fenestras

Intrat, dormitanti. ἑωθινὸν ad Audomari Talæi fratris mei matutinas vigilias dimisi. Quod vtrunque spatium (quanuis ipse minimè facio) populo tamẽ nostro conficiendum suasi, & sanè (nisi quid improbè refractariolus fuerit) persuasi. Mitto ad te oratiunculam, non vt eam legas (quid enim habent hæ nugæ lectione tua dignum?) sed vt si quis inertem aut nescio quid esse me apud te criminetur, quanuis ego sim, ne tamen fateare: quin tanquam magnæ defensionis instar, ad eum scilicet impediendum, tricas istas obiice. Nunquam (mihi crede) tantum illi erit animi, vt res tam insulsas perlegat, atque ita si molestus esse desinet, mirificè liber ero. Vale præsulũ humanissime.

Petri Rami Oratio de STVDIIS PHILOSOPHIAE & eloquentiæ coniungendis, Lutetiæ habita Anno 1546.



Tsi non ignoro, Auditores, me noui nihil hoc tẽpore vobis audientibus esse dicturum, propterea quòd diuisas communis mihi cum Audomaro Talæo fratre meo professionis partes eius oratione cognouistis, vt ille matutinis horis philosophiam, nos pomeridianis eloquentiam profiteremur: tamen in hac nouæ auditionis noua forma, proponenda mihi videtur esse ratio maioris & clarioris argumenti, quoniam quæ iustissima mihi causa visa est ad cohortãdum, eadem vobis amplissima videri debet ad agendum. Nam me cùm mediocris literarũ cognitio, tũ meæ vitæ perpetua consuetudo ad hãc causam suscipiẽdã adhortata est. At verò vt id studiosissimè facerem, publicorum studiorum amor, doctoris officium, ipsæ denique literæ vnà mihi vobiscum ad humanitatẽ propositæ coegerunt. Non enim id nunc agimus, vt odiosa barbaries, inanes argutiæ, vanæ & inutiles nugæ in scholas inducantur: sed vt optima iuuentutis erudiendæ doctrina, in omnibus gymnasiis suscipiatur. Quæ cùm ita sint, à vobis

Auditores, hanc veniam peto, vt me de vestris studiis dicentem benignè atque attentè, sicuti facitis, audiatis. Repetam verò paulò altius instituti nostri originem, quò facilius omnes id quod volumus & probamus, intelligant. Fuit igitur, Auditores, apud veteres ea docendæ iuuentutis ratio, vt philosophiæ studiis eloquentiæ studia coniungerentur, earúmque disciplinarum præcepta disiunctè, vsus coniunctè traderetur. Siquidẽ vetus illa (ait Crassus) doctrina eadem fuit & rectè faciendi, & bene dicendi magistra: neque disiuncti doctores, sed idem erant viuendi præceptores atque dicendi, vt ille apud Homerum Phœnix, qui se à Peleo patre Achilli iuueni comitem esse datum dicit ad bellum, vt illum efficeret oratorem verborum, actorémque rerum. Atque hinc secuti rhetores, Gorgias, Thrasymachus, Protagoras magna vniuersæ Græciæ fama se & sapientiæ, & eloquentiæ magistros esse profitebantur. Quorum gloria motus Aristoteles intelligendi prudentiam cum dicendi copia coniunxit: & cùm antea matutinis scholis philosophiam solam doceret, pomeridianis etiam rhetoricam docere cœpit, in eóque adolescentes non ad reliquorum philosophorum morem, tenuiter & aridè disserendi, sed ad rhetorum copiam in vtranque partem vt ornatius & vberius dici posset, exercuit. Philosophos deinde graues oratores sunt imitati, qui tametsi se totos ad eloquentiæ laudem compararent, philosophiam tamen à rhetoricis exercitationibus nunquam separabãt. Hinc gloriatus est Cicero se oratorem non ex rhetorum offici

nis, sed ex Academiæ spatiis extitisse: idémque Periclem, quòd Anaxagoræ: & Demosthenem, quòd Platonis auditores fuissent, tantum reliquis ait oratoribus præstitisse. Neque verò philosophi & oratores solùm veterem illam disciplinam coluerunt, sed nostri quoque reges eam nobis colendam tradiderunt. Quæ enim Athenis Academia primùm fuerat, ea Romam deinde, postremò Roma Lutetiam commigrauit, sed gymnasiorum (quæ multis postea temporibus ædificari cœpta sunt) moribus nescio quomodo elanguit, ac iam prorsus interiit. Nostra verò ætate Francisci Valesii (quem honoris causa libenter vt debeo, nomino) regis cùm virtutum omnium, tum sapientiæ in primis amantissimi, liberalitate recreari & excitari cœpit. Omnis enim sapientiæ, omniúmque ingenuarum literarum doctores, honestissimis stipendiis ornatos in Academia Parisiensi constituit, eósque nobis eiusdem diei distinctis horis auscultandos & audiendos proposuit. Hæc est, Auditores, (de qua dicere proposui) philosophiæ & rhetoricæ cõiunctio à primis penè hominibus instituta, à rhetoribus & philosophis accepta, retenta ab oratoribus, à nostris regibus in hac vrbe fundata: quam si verissimis rationibus suscipiendam esse intelligemus, mores (vt spero) nostros melioribus institutis modesto & æquo (vt par est) animo vinci patiemur. Quapropter vt tota res facilius æstimetur, primùm mihi videtur de vtilitate huius institutionis, deinde de voluptate, tum de dignitate esse dicendum. Vtilitas autẽ eiusmodi est, quæ maximè nostros

animos incendere atque inflāmare debeat, in qua & discentium & docentium maxima & certissima bona aguntur. Nam (vt de commodis audientium primùm dicam) si philosophici studij tempora tribus annis ac sex mensibus (tot enim legibus nostris definita sunt) ita diuidantur, vt aliis horis philosophia, aliis eloquentia doceatur, fructus studiorum multis partibus augeri, & labores eorum maximè minui celerrimè sentiemus. Etenim vt à grammaticis puer informatus, cùm ad rhetoras accesserit, præteritas grammaticæ vigilias non despicit, verùm sermonis elegantiam maiorem, tum propositos authores imitando, tum plurimum & assiduè scribendo & dicendo sibi comparat: sic idem troporum & figurarum ornamentis à rhetoribus ornatus, cùm ad dialecticos transibit, rhetorica ille ornamenta non contemnet, sed dialecticorum coniūcta prudentia, legendis poetis, cognoscenda historia, oratoribus audiendis, bonarum artium scriptoribus peruolutandis, & exercitationis gratia laudādis, interpretandis, corrigendis, vituperandis, refellendis, in contrarias partes disputandis, omnibus omniū scriptionum, meditationum, declamationum modis amplificabit. Nunc verò puer iste quid agit? multos annos in grammaticis & rhetoricis retinetur, dum aliquid in eo maturum & perfectum videatur, id laudo: tū abiecta omni purè & propriè loquēdi cura, damnata styli & orationis pristina diligentia, multis minis, plerunque etiam virgis, lectione poetarum & oratorum interdicta, in altercationes & clamores scholæ

conticitur, vt tandem grammaticæ & rhetoricæ studiis longa obliuione deletis, pro puro & nitido sermone, barbarismos & solœcismos facere, pro suaui & ornata oratione, spinosum aliquod & ieiunũ sophisma latrare consuescat. At coniunctis (vt dixi) toto triennij tempore studiis, si epistolam antea facere, elegiam condere, rem propositam ornatè pronuntiare didicerit, non modò hæc eadem decurrendis philosophici curriculi stadiis retinebit, sed ampliora multò ac vberiora præstabit. Hæc vtilitas magna quidẽ per se nobis videri debet, Auditores, quod consequentibus studiis, antecedentiũ nulli fructus amittãtur, sed omnes augeantur: est tamen eo maior existimanda, quòd insignem quandam doctrinarum lucem coniunctam secum habeat: nam cùm isto modo artium fructum exquiremus, si quid erit ab earum doctoribus ineptè & imprudenter conturbatum, omnis eiusmodi error facilè deprehẽdetur, ac tolletur. Vsus enim coniunctus demonstrabit quid vtile, quid solidum, quid verum sit in præceptis: contrà, si quid erit inutile, vanum, falsum, idem vsus manifestè declarabit. Ita fiet vt quemadmodũ in hortorum arboribus, sic in artium institutionibus alias conseruemus, quia fructum ferant, alias amputemus, quia fructum non ferant. Quid? quòd eadem ratione tempora studiorum, laboresque mirificè minuuntur? Certos gradus in disciplinis explicandis, ita distinctos temporibus habemus, vt primo tempore grammatica, secundo rhetorica, tertio philosophia perdiscatur. Sit igitur puer decimo aut duodecimo ætatis anno à grã-

maticis sic eruditus, vt latinè loqui, vt versiculos fingere, vt sermonem familiarem in epistola exarare non ineptè possit, is Academiæ nostræ moribus, in rhetoricis annos duos, sæpe etiam plures exercetur. Hoc secundum tempus est: tum demum decimo & quinto circiter anno, tertio quippe tempore, ad philosophos superioribus studiis omnibus omissis, (vt cognita prius videlicet obliuiscatur ac dediscat) deduci solet. Verùm partitis, vt dixi, philosophiæ perdiscendæ temporibus, vt pars altera mansuetioribus literis impendatur, intermedio illo tempore, quo rhetoribus discipulus iste traditur, eodem philosophis opportunè & commodè committetur. Ita cùm vno & eodem tempore & intelligendi & ornandi præceptis instituetur, nullum præteritum tempus amittet, sed intermedio postremũ anteuertet, & iuuenis admodum eò perueniet, quò vix senex, ac ne vix quidem vnquam fortasse peruenisset. Quod equidem, Auditores, vehementer animaduertẽdum esse nobis arbitror: laborarunt enim superioribus annis Academiæ nostræ moderatores ac principes, vt de constituto illo ac dimenso trium annorum sexq̃ mẽsium curriculo annus vnus detraheretur, propter molestam laborum longinquitatem, qua iuuentus debilitari, & à philosophia frequenter auocari dicebatur: decretæ sunt publicis & consiliis & pecuniis legationes, quæ id à Christianissimo rege impetrarent. Quam voluntatem (si publicæ, non priuatæ rei causa inducta est) equidem laudare debeo. Sed per Deum immortalẽ, quid ab optimo & lõgè post creatos reges humanissi-

mo rege postulamus, quod nõ eius erga nos pietate prius assecuti simus, quàm optare potuerimus? Nouerat enim antiquum illum (de quo initio dixi) iuuentutis informandæ morem, quẽ cum summa non solùm gloria sua, sed etiam fœlicitate nostra reuocauit, prudẽtissimo simul exemplo quemadmodum iuuentutem in gymnasiis erudiremus, quáque ratione graues, de quibus conquerimur, laborũ molestias euitaremus, admonuit: & ad subleuandum diuturnitatis tædium, non vnum de tribus annum, quod nostris legationibus petebatur, sed totum triennium, si verè de diuinis eius erga nos meritis æstimare volumus, condonauit. Principis igitur nostri tam singulare consilium de literis cum sapientia copulãdis intueamur, admiremur, imitemur: & compendia temporum tam vehementer optata, tanto præsertim duce commonstrata ingrediamur. O popularem veréque regiam sapientiam, ô regem non solùm Francorũ regno, sed omnium gentium imperio dignissimũ.

Dij tibi- (Regiis enim gratiis te regẽ lubet affari)
-si qua pios respectant numina, si quid
Vsquam iustitiæ est, & mens sibi conscia recti,
Præmia digna ferant. Quæ te tam læta tulerunt
Sæcula? qui tanti talem genuere parentes?
In freta dum fluuij current, dum montibus vmbræ
Lustrabunt, conuexa palus dum sydera pascet,
Semper honos, nomenq́ tuum, laudesq́ manebunt.

At fortasse dicet aliquis, ista quidem orationis & cognitionis coniunctione, præclarè & studiis & artibus & temporibus consulitur, at nobis nihil consulitur. Si

quis igitur eiusmodi (qualem esse neminem existimo) tam abiectus ac sordidus erit, qui nullam vtilitatem æstimet, nisi quæ marsupio & crumena concludatur, excitet ipse se, & quæ dicã attentus audiat. Quid igitur? in quo vtilitatis & emolumenti spem reponemus? an cùm maximus in auditoriis nostris audiẽtium numerus fuerit? At bone Deus, quid tam idoneum, tam opportunum, ad scholas omnes complendum fingi vel excogitari potuit? tanta, mihi credite, regia illa cõsuetudine in scholas admissa, cognoscendi & audiendi cupiditas exorietur, vt non modò gymnasia, sed ne Academia quidem tam multis, támque crebris ædificiis multitudinem capere posse videatur. Nullus erit vir ingenuus ac nobilis, nullus senator, nullus mercator, nullus agricola, nullus cuiusquam fortunæ qui non cupiat liberos suos isto modo institui: nemo tam parcus, tam tenax, tam auarus pater erit, qui nõ percupidè cuiusuis mercedis pretio tam pretiosum doctrinæ patrimonium liberis suis relinquat. Quamobrem videte nũ talem institutionẽ amplecti, ac omni studio fouere debeamus, ex qua maximus iuuentuti fructus, maxima disciplinis illustratio, maximum temporibus solatium, maxima præceptoribus emolumenta comparantur. At quoniam de vtilitate dixi, nunc de voluptate pauca dicam: potest enim sic existimari, hanc institutionẽ esse tam vtilem, vt optanda sit: sic esse difficilem, vt pertimescenda sit. Vtinam, Auditores, perinde verbis explicare poßim quod sentiam: neminem profectò tam durum, támque agrestem esse arbitror, quem volupta-

tis futuræ cogitatio & commemoratio nõ summa voluptate afficiat. Quid enim est, in quo exultare animis, lætitia efferri, triumphare denique soleamus? Nẽpe cùm iis rebus quas amauimus, quas optauimus, perfruimur. Discipuli nostri è lõginquis plærunque terris ad nos deducũtur: quo porrò desiderio incẽsi? quo amore inflãmati? doctrinæ. Quanto igitur in omni doctrina maiores progressiones fecerint, tanto pleniores voluptates percipient. Atque vt antea molestissimis spinis debilitati, inanibus clamoribus fracti, perpetua rerum obscuritate deterriti, amorẽ philosophiæ deponebant: ita nũc suauissimis rebus illecti, liberalibus exercitationibus confirmati, clarissima luce inuitati, cùm omnibus modis se & doctiores & disertiores quotidie fieri sentient, incredibili voluntate omnes vigilias tolerabunt, non sibi negotium exhiberi, sed otium cõdonari: non laborem imperari, sed delectationem comparari iudicabunt. Neque verò magistri in tanta discipulorum lætitia lugebũt, sed vt boni agricolæ, cùm segetes quas ipsi seuerint, lætas ac luxuriantes aspiciunt, magno gaudio affecti superis gratias agunt: sic liberalis animi præceptores immortaliter vberrimo ingeniorum, sua diligentia velut excultorum & satorum, prouentu gaudebunt: & qui prius duobus aut tribus discipulis, velut in nido pullis excludẽdis, frigescebãt, ij cùm se frequentis & celebris auditorij doctores, & quidem cùm fortuna (quã discentium liberalitas adferet) tum sapientia (quam syncerior vsus efficiet) pulchros & beatos intelligent, quibus modis gestiẽt? An-

tea de dialecticæ duris admodum & iniucundis præceptiunculis sese obtundebant, nũc eius amœnißimum in omnibus dictis & factis maximis & minimis vsum intelligent. Legebant antea pictos hominum mores in philosophorum libris, quid esset fortitudo, quid temeritas, quid liberalitas, quid effusio: nunc in poetis, in oratoribus, in historicis, eosdem mores, sed veris & viuis exemplis impressos perspicient. Antea quid essent venti, quid pluuiæ, quid tempestates, quæ causæ rerum & ortus & interitus efficerent, inquirebant: nunc eorum generum efficientiam in Virgilio, in Homero, in reliquis bonis authoribus suauitate magna recognoscẽt: quinetiam cum philosophia de vita & moribus, Horatij licebit, & Ciceronis morales libros coniungant, cum physicis Lucretium, & multis in locis Ouidiũ & Virgilium: nec in vlla philosophiæ parte oblectandi otij materies vnquam diligentibus & attentis doctoribus deesse poterit. Immortales, ita me Deus amet, esse cupient, vt ista cõditione perpetuò doceant. Tertius & vltimus locus restat de dignitate: satis enim multa verba mihi fecisse videor, quamobrem esset hæc institutio variis cõmodis necessaria, & multis oblectationibus periucũda: nũc quis honor, quæ gloria poßit hinc expectari dicẽdum est. Magnum opus & arduũ, Auditores, & multorũ inuidiæ, calumniisque obiectum, sed ingredientibus aliud statuẽdum fuit, quod sequeremur: nunc quidem iam quocunque feremur, danda nimirum vela sunt. At quoniam res eiusmodi est, quæ nõ facile verbis explicari poßit, veterem aliquem hu-

ius Academiæ doctorem centũ abhinc annos vita functum cogitatione, si placet (quoniam mentes nostræ liberæ sunt, & ea quæ volunt, intuentur) excitemus. Quid ille? si temporum suorum memoriam cum his tẽporibus cõparabit, non quæ futura esse prædico, sed quæ iam in Gallia, Germania, Italia, Britannia, contunctis cum rerum scientia literis efflorueruntnónne stupefactus & attonitus hærebit? Neminem nisi barbarè & ineptè loquentem audierat: audiet omnis ætatis innumerabiles latinè & ornatè scribentes & dicentes: de Græcis literis vulgatũ illud frequenter audierat, Græcum est, non legitur: audiet non qui Græcè legant expeditißimè, quoties opus erit, sed qui totã eam linguã summa cum laude explicẽt. Quid reliquarum artium præteritas tenebras cum præsenti luce ac splendore conferam? Audierat in grãmaticis, poetis, oratoribus, Alexandros de villa Dei, Facetos, Græcismos: in philosophia, Scotos & Hispanos: in medicina, Arabas: in theologia, nescio vnde ortos: audiet Terentium, Cæsarem, Virgilium, Ciceronem, Aristotelem, Platonem, Galenum, Hippocratem, Mosem & Prophetas, Apostolos, ac reliquos Euangelij veros germanósque nuntios, & quidem omnibus linguis loquentes. Quæ nõ aliter admirabitur, quàm si de mediis terræ visceribus nuper exortus, solem, lunam, ac reliqua sydera sublatis in cœlum oculis, derepẽte suspiceret. Sentio, Auditores, ficta cogitatione vos esse commotos, qua veteris disciplinæ reuiuiscentis adumbratos duntaxat honores attigimus: quid si veri cernerentur? quantos amores, quantas

admirationes excitarent sui? Nam quicquid est adhuc effectum, id tantum est, vt illi magnifici & illustres literarum principes ex monumentis suis agnoscerẽtur, vt eorum virtutes legerentur & amarentur. At neminem adhuc illorum similem videmus. Quamobrem? an Deus ille parens ingeniorum & artifex, excellentibus ingeniis procreãdis defatigatus est? ego vero id existimare magnæ impietatis scelus esse duco. Quid ergo? institutio & educatio legitima nobis deest, sit idẽ ingeniorum cultus, qui quondam fuerat, non similes antiquis flores nos visuros speremus, sed pares fructus cõsecuturos confidamus. Existent alij in grãmaticis Aristarchi ac Varrones: alij in poetis Homeri ac Marones: alij in oratoribus Crassi & Cicerones: alij in philosophis Theophrasti & Platones: alij in medicis (qui iam propemodum sunt) AEsculapij & Apollines: in theologis Basilij, Chrysostomi, Cypriani, Hieronymi: alij denique in omnibus humanitatis ac doctrinæ partibus excellentes viri ac præstantes, quorum opera ac virtute iuuentutem informari, Rempub. gubernari, hominum salutem retineri, veram religionem demonstrari, non solùm est omnibus votis optandum, sed omnium gentium linguis prædicabile & gloriandum. O florentem Academiam Parisiensem, si tam insignia dignitatis ornamenta consequatur. Consequetur autem, si cũ philosophiæ studiis eloquentiam coniunxerit. Vna enim hæc coniunctio summos omnes & oratores, & philosophos, & medicos, & theologos dedit: contraria verò disiunctio omnes literarum pestes peperit & aluit.

Quamobrem, Auditores, talis cum institutio sit ab heroicis iam olim temporibus cõstituta, à rhetoribus, philosophis, oratoribus celebrata, à nostris regibus in hanc Academiam maximis dotibus & olim euocata, & nunc demum reuocata, cúmque bonorum omniũ generibus, eximia cõmoditate, singulari voluptate, admirabili dignitate prædita sit, ne tam immanes, támque impiè erga nosmetipsos ingrati simus, vt tam cæleste, támque diuinum bonũ nobis diutius inuideamus: sed potius à Deo Opt. Max. communibus animis precemur, vt reges, vt regum familiares, vt omnium Rerumpublicarum, ac nostræ imprimis principes ad hanc generis humani fœlicitatem tuendum & amplificandum, quotidie magis ac magis velit incitare.

FINIS.

VCM 6=6489

1156523367